Dunlisous

Beiträge

zur

Geschichte des Humanismus

aus dem

Briefwechsel des Johannes Dantiscus.

Von

Dr. Franz Hipler.

Braunsberg 1890.
Druck und Verlag der Ermländischen Zeitungs- und Verlags-Druckerei
(J. A. Wichert).

Beiträge

zur

Geschichte des Humanismus

aus dem

Briefwechsel des Johannes Dantiscus.

Von

Dr. Franz Hipler.

Braunsberg 1890.
Druck und Verlag der Ermländischen Zeitungs- und Verlags-Druckerei
(J. A. Wichert).

Auf die Bedeutsamkeit und Reichhaltigkeit der Correspondenz des Johannes von Höfen, gewöhnlich nach seiner Vaterstadt Dantiscus genannt, ist neuerdings wiederholt und von verschiedenen Seiten hingewiesen worden.[1]) Durch seine vielen Reisen in ganz Europa und darüber hinaus, durch seine weitverzweigten literarischen Verbindungen, durch seine langjährige Stellung als Gesandter Polens am Hofe Karls des Fünften, durch seine Thätigkeit als Landes- und Kirchenfürst in der preußischen Heimat, war Dantiscus, wie wenige seiner Zeitgenossen, mit fast allen hervorragenden Persönlichkeiten der ersten Hälfte des 16. Jahrhunderts in Berührung gekommen. In dem Briefwechsel, den er mit einer großen Zahl derselben unterhielt, spiegelt sich deshalb das reiche vielbewegte Leben jenes Zeitalters in frischer lebendiger Ursprünglichkeit und Treue nach den verschiedensten Seiten hin ab. Da indessen die vollständige Herausgabe dieser reichen historischen Fundgrube wegen der Zersprengung der ermländischen Archive, welche ursprünglich den größten Theil dieser Briefschaften in sich bargen, und wegen ihres großen Umfanges mit nicht geringen Schwierigkeiten verbunden ist, so werden inzwischen auch kleinere Mittheilungen aus dieser Quelle, wie sie nachstehend, mit besonderer Berücksichtigung der humanistischen Bewegung, geboten werden, auf eine dankbare Aufnahme rechnen können.[2])

[1]) Vgl. Erml. Hist. Zeitschrift IV, 475 ff., V, 429, 475 ff. und die Publicationen von E. Böhmer, F. Walz u. a.

[2]) Das Leben des Dantiscus ist in meiner Ausgabe seiner „geistlichen Gedichte" (Münster 1857) behandelt. Mit Rücksicht auf das dort sowie in meinen Aufsätzen in der Erml. Hist. Zeitschr. a. a. O. Gesagte konnten die Erläuterungen zu den folgenden 60 Briefen auf das kleinste Maß beschränkt werden. Der Text derselben ist ähnlich wie bei den Hosius- und Kromerbriefen edirt.

1. Eobanus Hessus[1]) an Dantiscus.

1530, October 12. Nürnberg. (Präsentirt October 20. Augsburg.)

Erinnerungen an die Zusammenkunft in Augsburg, Dank für die erhaltenen Geschenke und Lob des Gebers, worin er mit Phil. Melanchthon, Jonas rc. übereinstimme. Uebersendung seiner Psalmenübersetzung.

S. Semper ab eo tempore, quo a te Augusta discessi, optime ac clarissime Dantisce, sic enim appellari a me quam ullo alio splendido titulo, quibus abundas, mavis, redire ad te statui, ita me coeperas vel potius excantaveras pro non tam munificentia in me tua quam humanitate et benignitate morum summa et in tui similibus rarissima. Itaque, mi Dantisce, tibi graviter non fortunam istam amplam et te dignam, cum ipse et ista fortuna sis dignior et vere dignus regia, cuius nunc vices geris et quam unice ornas, sed gloriam famae pulcherrimae ac nominis immortalem, quam non regius iste splendor et dignitas in qua es, sed tua virtus et incomparabilis humanitas peperit, imo parit quotidie magis ac magis. Mihi crede, non sum hic inescatus tuis donis, ut adulari tibi nunc incipiam qui nulli unquam sim solitus. Scribere non possum quae suggerit animus, obruor splendore nominis tui. Adeo certatim omnes homines, quotquot vel nunc Augusta ad nos veniunt vel unquam antehac te novere, tuas laudes, tuam humanitatem, tuam morum civilitatem praedicant, ut nisi mihi esses vere notissimus, frontem abiecisse omnes dicerem, qui tam sine modo prae aliis omnibus unum praedicent. Rediens nuper huc Philippus noster non potes credere, quam sit honorifice de te locutus multis et magnis viris audientibus. Ibi vero, cum de humanitate tua velut certamen sumeretur, Jonas, nosti opinor hominem, o mi Eobane, inquit, nesciebam tuum Dantiscum, quem praedicare mihi tantopere solebas, ipsam humanitatem esse, quod si scissem, iamdudum quaesissem aliquam occasionem insinuandi me in amicitiam viri optimi. Haec vere ita ut scribo acta sunt, quae vero ego responderim, ideo non scribo, ne suspectus tibi eius fiam vitii, quod semper vitavi cane peius et angue. Praeterea est hic quidam Udalrichus Pindarus, qui in Hispaniis in familiaritatem tuam se venisse ait. Quid quaeris? eodem ore te effert, quo hi quos

dixi alii omnes, quibus vel per umbram visus es. Hoc demum est, optime Dantisce, vere Regis legatum et amicum agere, hoc est omni se fortuna maiorem et in quavis amplissima dignum ostendere. Hoc est regias vices sustinere et eius Regis, qui inter omnes Europae Reges sit vel regnorum amplitudine vel pontentiae et virium magnitudine longe maximus. Sed contineo me, ne in epistola poetam fieri me causari possis. Eris mihi deinceps, optime Dantisce, boni viri verum exemplar et qui nunc ab hoc tempore bona fide semper honore meo semper celebrabere versu meo. Itaque quos nunc honorandi nominis tui causa instituo, brevi ut spero videbis, neque enim excidit, quid a te discedens dixerim. Epitaphium in Mercurinum iam non licebat absolvere, et volebam aliquid exquisitum ad te tantum amicum mittere. Itaque igitur ignoscas rogo et hoc nunc procrastinari; mittam brevi, siquidem futurum te diutius apud Caesarem audio. Tuum aurum, quod abeunti dederas, conflavi in unum annulum, quem quotidie circumfero et ostento et praedico id munus esse viri maximi, legati Regis maximi, Dantisci scilicet eius, quem tot praeconiis ornent haec tempora, ut ne dicam semper homines; pauci sunt, qui tuum nomen ignorant, benignitatem omnes admirantur. Uxor mea uniones aure inclusos ut custodit unice, ita carissimos habet ob hoc quia a te dono dati sint, pro quibus tuis in me beneficiis quid reddam? aurum et argentum non est mihi, nosti commune verbum, dabo tamen operam, ut ne ingratitudinis ullo pacto accusari queam. Nihil nunc ad manum erat nugarum, quod ad te mitterem praeter unum hunc libellum psalmorum nuper hic editorum, multa vero edere soleo. Sed qualiacunque horum deinceps, tu velis nolis, bona pars eris. Vix, uti vides, tempero ineptiis, ita est tibi vere hic animus deditus. Saluta precor meo nomine optimos ac doctissimos viros D. Cornelium Scheperum, D. Logum, D. Ursinum et si qui sunt alii nobis amici. Sed, quod oblitus eram et ut unde coeperam concludam epistolam, statueram redire ad te, nisi Philippus cum suis huc rediisset. Deinceps quae voles ab Eobano curari, pro tuo iure manda; nihil enim cupio omnino magis quam tibi gratificari. Salutat

plurimum te Udalrichus Pindarus, de quo scripsi, si forte possis in memoriam revocare amicitiam hominis. Christus te nobis servet quam diutissime.

Norenbergae, quarto Idus Octobris 1530.

Vere tuus Eobanus Hessus.

Adresse: Dignitate et humanitate summo viro Dn. Ioanni de Curiis Dantisco Oratori Regio Poloniae apud Carolum Aug. patrono perpetua fide colendo suo.

Original im bisch. Archiv zu Frauenburg D. 3. fol. 36.

1) E. H. (* 1488 † 1540) war damals Rector und Professor in Nürnberg.

---

2. Johann van Campen[1]) an Dantiscus.

1531, März 3. Löwen. (Präs. April 22. Gent.)

J. C. dankt für ein Geschenk, übersendet seine Uebersetzung des Ecclesiastes und einiger Psalmen.

S. Pergas, Domine mi, mecum certare muneribus, ego cedam arena et orabo te, ut alium tibi quaeras antagonistam. Maluissem, crede mihi, imaginiculam tui plumbeam quam sericum hoc maximo emptum. Si ergo Campensem tuum esse velis, abstine a mittendis quaeso muneribus; non enim amicitiam tuam ambivi munerum spe, sed fama nominis tui in amorem me perpulit et quoad vixero continebit. Tentavi apud quosdam ex nostris medicis, ut faciant quod cupis, sed tam frigide respondent, ut putem eos scripto nihil acturos. Dixit mihi decanus facultatis, medicinae doctores sententiam suam paucis verbis Dno. Lubicensi coram dixisse, ut autem scripto in eiusmodi agant neque huius neque ullius alterius academiae morem esse. Mitto regem concionatorem quem tantopere expetis cum psalmis aliquot, missurus reliquos, si vixero, brevi. Valde cuperem te cum D. Scheppero dignari libellum illum aliquo commentariolo ex pasquillo et aliis quae quotidie experimini; assidue enim inter splendidas nugas versamini. Vale, praesulum decus, et me quaeso D. Scheppero et domino Valdesio, dulci amico tuo, commenda.

Lovanii, ultima Marcii 1531.

Tuus quantus est Joannes Campensis.

Reliquit hinc abiens apud me D. Henemannus, alter Sarmata, nihil interim minus quam Sarmata, literas binas ad D. Archiepiscopum Lundensem; eas non gravaberis spero mittere per strata-gema nostrum ad illum. Iterum vale, Domine animo meo carissime.

Adresse: Clarissimo viro Jo. Dantisco Eppo. Culmensi Ser. Poloniae Regis Oratori D. suo.

Original im bisch. Archiv zu Frauenburg D. 3. fol. 41.

1) J. v. C. (* 1491 † 1538 in Freiburg) war damals Professor der hebräischen Sprache in Löwen.

---

3. Eobanus Hessus an Dantiscus.

1531, April 4. Nürnberg.

Er lobt das von D. verfaßte Gedicht: de duabus Lucretiis, spricht von seinen neuesten Schriften und bedauert, daß er sich seiner tragischen Lage in Nürnberg nicht entziehen könne.

S. Non erat anxia et exquisita excusatione opus dilati in tempus responsi ad meas literas, optime ac humanissime Dantisce et patrone mi! omitto enim in epistola praesertim magnifica ista cognomina dignitatis tuae, quibus ut ornatus merito es ita haud quaquam te gaudere certo scio. Satis enim sciebam non modo multis, verum etiam magnis occupationum turbis obrui te magis quam teneri. Illo unice gavisus, quod et literae tuae declarant et res ipsae testantur, veterem tuum in me amorem nulla ex parte factum, sic enim scribis, esse remissiorem, cuius amicitia si carerem, ambienda erat modus omnibus. Quis enim non talis tantique viri gaudeat vel potius non superbiat ac sese efferat consuetudine nedum amicitia? Quod carminis latini in me nescio quam elegantiam et facilitatem laudas, facis tu quidem non tam pro more aliquo tuo qui aliunde tibi irrepserit, sed prorsus pro naturae tuae benignitate summa. Qua etiam his tua sponte cedis, quos relinquere post te longo intervallo poteras, cum sint

tam pauci, ut ille ait, qui velint ingenio cedere. Quid enim carmine tuo de duabus Lucretiis elegantius, quod ideo facile patior te vocare nugas, quod sciam ita solere te amanter mecum atque etiam de te ipso nugari nonnunquam; quae si istae tibi nugae sunt, quaenam seria durent? Sed quid ago? novi ego te, nosti et tu Eobanum; ego te virum, nihil dicam maius, tam literis quam dignitatibus ornatissimum, tu me in altero horum nihil, in altero parum omnino praestantem. Quod si tu hoc aliquid esse putas poetari nonnihil posse et carmen plerumque non omnino infeliciter absolvere, felicem me, qui te talem virum in talibus rebus laudatorem invenerim; notum est illud de Naeviano Hectore. Itaque contentus ego iudicio tuo in tacito interim sinu gaudeo, nihil omnino curans, quid porro alii de me sentiant quantumvis garruli, cum sciam et sua risisse saecula Maeoniden. Non quoniam ego non rideri me dignum existimem, sed quia naturae quodam nescio vitione an bono semper solitus sim contemnere gloriosos istos logodaedalos et ne dicam verius *σπερμολόγους* quantumvis etiam Catullientes ac etiam, si diis placet Catullos. Sed de his satis. Mitto sicuti iubebas ad te poemata quaedam mea, inter quae et illud quod mandaveras Augustae fieri tibi Epicedion in Mercurinum, ut videas non oblitum me nec mandati tui nec mei promissi. Maturius autem et ipse tibi respondissem et misissem hos libellos, si a prelo statim mihi fuissent parata. Nam forte ita accidit, ut id temporis quo maxime tibi fuit respondendum excuderentur apud typographos et non oportebat me tantum epistola tibi satisfacere, neque enim hoc fuisset factum satis; cum iuberes, vel potius pro tua modestia rogares, uti aliquid meorum ad te mitterem. Nihil vero erat ad manum aliud quod mitterem. Sic enim statim distrahuntur quaecunque hic edo; edo autem semper aliquid, otii omnino, ut et tu scribis, impatiens, quod plerumque tamen male colloco et non minus honestis sodalitatibus quam literis impendo. Mittam vero deinceps plura tibi, dummodo sciam, ubinam gentium agas. Hactenus enim non satis sciebam, secutusne esses in Belgas Caesarem, an ad clarissimum tuum Regem redisses. Hoc postquam ex tuis literis intellexi esse

te apud Caesarem, iam dabo operam, ut nihil officiorum a me desideres, quandoquidem huiuscemodi officiis gaudes et amas etiam plus negotiorum tibi ex meis ineptiis accrescere. Nam quod superioribus literis, quas Augustam ad te dederam, humanitatem tuam commendavi, id et vere et tuo merito feci et scribebam tum non magis quid ego quam etiam quid alii de te praedicarent. Atque id quoniam in epistola et semel factum mihi nequaquam satis videtur factum, dabo propediem operam, ut et orbis intelligat, non omnino falso me tuam humanitatem alicubi commendasse. De Theocrito meo, qui ex his nundinis exit, tibi inscribendo, ut Augustae receperam, magna de causa non est factum, et erat non satis dignum operae pretium nec sufficiebat unius non admodum magni libri inscriptio ad tua in me beneficia ulla ex parte compensanda. Tu velim mihi significes, (nam Augustae quidem perplexe loquebaris,) gaudeasne et libros tibi inscribi. Multa mihi nunc sunt in manibus, Homerus integer a me vertitur. Sylvarum libros septem parturio. Heroidas Christianas locupletatas nuper et repastinatas brevi denuo sum editurus; alia minora taceo, quae alia sub alia adnascuntur in dies. Quamquam ut dixi mihi non erit satis librorum te inscriptionibus honorasse, nisi et ipso te, hoc est nomine tuo, libros implevero. Significabis tamen, si tibi videtur, an horum quae dixi aliquod et quod inscribi tibi velis. Admodum enim metuo, ne vel ingratus videar vel pro tuis in me summis beneficiis paria non faciam. Venio ad eam partem literarum tuarum, in qua scribis versari me in tragoedia hac non admodum ex usu meo. O mi Dantisce, sentio et intelligo satis, quam dicas tragoediam, sed quis me liberabit ex hac tragoedia? quis ex tragoedo comoedum me faciet? Obsequendum est uti vides hisce et temporibus et moribus, in quae quoniam et ego incidi, necesse est et me velut Ixionis rotae alligatum verti circumverti rapique et volutari, quocumque fert impetus haec omnia moderantis fati. Verum haec ad te quidem, nam super huiuscemodi rebus voces hic nequaquam sunt liberae. Amicus ille, qui te salutari iusserat meis literis et cuius tibi nomen excidit, est Udalrichus Pindarus, huius urbis nostrae civis iureconsultus valde

eruditus et nunc etiam valde podagricus, tui certe amantissimus, nam tuas ei literas ostendi, quibus cum vehementer fuisset exhilaratus, rogavit ut salutem tibi suo nomine adscriberem, quam diceret tibi manibus pedibusque quamquam podagricis, salutem tamen, quantum ad te, nullo modo podagricam. Solet is enumerare quinque linguas, quas tu calleas, quibus loquaris. Multa praetermitto quae chartam implerent et non ita multum ad rem facerent, sed ego tecum garrire volui, quod tu quidem in ista nunc amplitudine constitutus feres, quoties recordaberis iucundissimae olim nobis arctae consuetudinis, quam quidem hac nunc utriusque nostrum aetate aequum est mutuam benevolentiam consequi. Nam officiis quidem ultro citroque missitandi munera tecum certare non possum, humanitate, benevolentia, addo etiam literarum officio vinci me non patiar. Mea caro, mi patrone, maximas tibi gratias agit, Catharina, pro catena qua illam donasti eamque circum fert et ostentat his Noricis matronis ubiubi potest. Illae admirantur nobis e Caeserea aula talia transmitti, atque ita tu facis, ut et nos aliquid esse existiment. Forte sic accidit ut, cum tuum munus afferretur, ipsa cui ferebatur esset in lecto puerperii, cum paucos ante dies Callimachum mihi filiolum elegantem peperisset. Quae res ut ipsam exhilaravit supra modum, ita mihi suscepta est loco felicissimi ominis.

Ex novis quae scribebas nihil sane placebat, nisi quod speramus Caesaris cunctationem non esse de nihilo alioqui; nisi sciret Turcas quieturos, quid tam securus in utramque dormit aurem? Quamquam! — sed superent quibus hoc fortuna dedisti. Nobiscum nihil rerum quod scire tua referat admodum, hoc est quod audire delectet. Aedificamus tamen et mutamus quadrata rotundis muris, scilicet nos defensuri, si dominus civitatem custodire noluerit. Habes nunc et tu, mi Dantisce, epistolam non Ciceronianam, sed Noricam, id est confusam et barbaram. Quae enim sit isthaec superstitio, laboriose et anxie electa verba quaerere ad amicum scribentem! epistolas ego aliter quam coram loqui scribere non soleo. I nunc et excusa tuam in scribenda epistola negligentiam, optime Dantisce, cum habeas a me exemplum non solum non quaesitae elegantiae, sed paene etiam affectae negligentiae. Felicissime opto, ut valeas cum tuis omnibus. Rogo ut salutes meo nomine, si forte adhuc tecum sunt, doctissimos viros D. Cornelium Scheperum, qui Augustae nobis suavissime congarriebat, D. Georgium Logum, qui dulcissima nobis carmina dulcissime recitabat, inprimis vero D. Casparum Ursinum, cum quo poenitet non penitiorem me Augustae contraxisse consuetudinem ac familiaritatem. Te rogo, ut si quando per occupationes tuas tibi vacet, ad me scribas. Utinam Caesar Nurenbergae potius quam Bruxellis habitare voluisset, ut tua dulcissima praesentia nobis uti licuisset, vel saltem non recessisset in istum Germaniae angulum, ut proprior nobis esses. Profecto inviserem saepius et haererem diutius tibi quam Augustae fueram, unde nulla de causa properabam nimium, cuius rei post eam diem poenituit saepe. Iterum vale, vir summe, et me sicut facis ama.

Nurenbergae, quarta Aprilis 1531.

Tuae Rmae Dom. unice deditus Eobanus Hessus.

Original im bisch. Archiv zu Frauenburg D. 3. fol. 42—43.

---

4. Johann van Campen an Dantiscus.

1531, April 16. Löwen. (Präs. April 16. Gent.)

Ueber verschiedene Psalmencommentare, ein Bild des Erasmus u. s. w.

Salutem, Domini mi, plus millies! Non dubito quin iam acceperis Ecclesiasten et psalmos aliquot, diu est enim quod eos tradiderim amico cuidam candidissimo, quem oravi tamen, ne temere cuivis committeret, non propter meas ineptias, sed quod literas binas incluseram ad Dominum meum Archiepiscopum Lundensem fidei meae commissas ab Henemanno Rodio. Vidi opus illud psalmorum nescio cuius Felini, sed offendit me idem quod te, dictionis ipsius scabies, quamquam saepissime non assequitur autoris sententiam, maxime autem omnium, quod putem opus esse Martini Enzeri, hominis im-

pie scelerati, quamvis de Christianismo suo neminem dubitare velit. Ob has causas lecto uno atque altero psalmo totum opus abieci neque tamen dissuadeo quin legas. Non enim dubito, qualiscunque sit autor ipse, quin multa habeat quae apud alios inventurus non sis. Admonitio tua adeo molesta non est, ut cupiam saepissime etiam acrius moneri a te, quem non secus atque patrem et amo et amaturus sum quoad vixero. Mittam spero brevi ad te quos tantopere cupis psalmos reliquos, absolvi enim fere centum, absoluturus alios, studiis meis reliquis tua causa intermissis. Goclenius noster non solum paratus est, imaginem, quam habet Erasmi, tuo rogatu ad pictorem Mecheliniam mittere, sed et dono tibi dare, si gratum fore putarit. Vale domine mi.

Lovanii 16. Aprilis 1531.

Non te offendant quaeso in hoc epistola liturae frequentes; scribam brevi prolixius. Gaudeo stratagema tam tibi esse carum, ut eadem charta cum eo uti non dedigneris; amo adolescentem ob integritatem et ingenuas artes, quas sic sectatur, ut ad eas mihi natus esse videatur. Iterum vale, pater mi.

Tuus quantus est Joannes Campensis.

Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 6. fol. 142.

---

5. Johann van Campen an Dantiscus.

1531, April 18. Löwen. (Präs. April 21. Gent.)

Er zeigt seine Abreise nach Italien an, wo er der hebräischen Sprache wegen einen Juden (Elias) aufsuchen will.

Scripsi intra dies paucissimos me non dubitare quin acceperis Ecclesiasten et psalmorum aliquot selectos. Tradideram eos cuidam M. Egidio Rens Mechliniensi, qui se promisit curaturum bona fide, ut ad te pervenirent. Quare ora, Domine mi, ut per hunc M. Ioannem Maquetum digneris rescribere, an illos acceperis; reliquos brevi missurus sum, sed typis editos, aut hic aut quod magis credo Parisiis. Diu enim in animo habui Ulyssem mensibus aliquot agere unius Iudaei

causa, quem nescio an sim inventurus Venetiis an Romae. Solet fere semper comitari Cardinalem Egidium Viterbiensem, quare nescio an hinc accepturus sis a me posthac literas ante abitum meum. Verum quocunque profectus fuero, animo te mecum circum feram et pro viribus, uti dignus es, laudibus efferre conabor te. Locutus hic sum prolixe cum Domino Mariangelo viro humanissimo de D. doctore Wenselao et quare non putem nostros medicos quicquam scripto responsuros, ille tibi referet ea non admodum gravate. Vale, Domine mi.

Lovanii 18. Aprilis 1531.

Tuus modis omnibus Ioannes Campensis.

Hic Maquetus qui tibi reddet has literas malleus est maleficorum, maxime Lutheranorum, quos tanto odio prosequitur, ut aliquando ab ipso Christo sibi vix temperet. Coniecit enim olim in ignem publice novum testamentum una cum aliis Lutheri libris. Si gravatus non fueris multis convivis, adhibe illum quaeso mensae tuae semel, invenies non infestivum congerronem, maxime si semel atque iterum salutaveris illum poculo tuo. Stratagema nostrum tibi commendo. Iterum vale, Domine mi.

Original im bisch. Archiv zu Frauenburg D. 3. fol. 45.

---

6. Conrad Goclenius an Dantiscus.

1531, April 27. Löwen. (Präs. April 29. Gent.)

Er übersendet ein Bild des Erasmus von Holbein und eine Gypsbüste des Kaisers.

Salutem plurimam. Equidem inter praecipuos felicitatis calculos illud mihi numerandum duco, quod ita sors tulerit, ut licuerit propius intueri ac cognoscere illum uno omnium ore decantatum Dantiscum. In qua re plane evenit, ut mihi quoque dicendum existimem: O fama ingens ingentior actis. Id cum ceteris in rebus disciplinis ac virtutibus praeclare animadverti tum praecipue in comitate civilis vitae, qua, cum

tanto intervallo reliquos Caesareae aulae proceres, sive quis dignitatem sive ingenium sive eruditionem spectet, antecellas, ita tamen ad humiliorum fortunam accommodas, ut illos potius erigere ad ampliora quam te deiicere infra tantam dignitatem videaris, ut in nullo unquam magis verum esse deprehenderim, omnia viros bonos decere. Ceterum cum me quoque non dedignatus sis amplissimo honore tuorum clientum, tanta praeterea in me usus sis humanitate, ut a nullo veteri amico maior possit expectari, admodum cupio dari occasionem, qua possim tibi fidem facere, hunc amicum totum nihil perinde desiderare, quam tibi aliquod suae gratitudinis argumentum ostendere. In praesentia in eius rei symbolum mitto tibi dono effigiem D. Erasmi Roterodami ab Joanne Hoelpeyno, artificum in eo genere, ut periti censent, praestantissimo, graphice et ad vivum expressam. Hoc enim malui quam pictori Mechliniensi committere, partim ne deessem qualicunque occasiunculae declarandi animi in te mei, partim quod vererer ne ab ipso pictore effingeretur in peius, quemadmodum fere evenit, quoties ex imagine imago fingitur.[1]) Nam cum nulla imago absolute ad archetypum respondeat, necesse est semper longius aberrare imaginis imaginem. Addidi gypseam Imperatoris εἰκόνα, quae si videbitur satis expressa, dabimus operam, ut e solidiore materia ad te veniat. Cuperem sane melioribus officiis referre gratiam et, si detur opportunitas, comperies non deesse voluntatem. Interea te obsecro, ut quem ultro in gregem tuorum accivisti, etiam perpetuo favore prosequaris. Bene vale, praesul Reume.

Lovanii e collegio trilingui quinto Cal. Maii Anno domini 1531.

Tuae Reumae celsitudini deditissimus Conradus Goclenius.

Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 3. fol. 47.

[1]) Als D. das Bild nicht annehmen wollte, schrieb ihm Goclenius am 3. Juni 1531: Imaginem Erasmi quod destinasti remittere, haud scio in quam partem sit accipendum. Illud tamen scito, mihi posthac fore iniucundissimam. Nam quoties intuebor, haec cogitatio subibit animum· illam a Dantisco fuisse repudiatam. Quod ad meam oblectationem pertinet, ea mihi est necessitudo cum Hoelpeyno, ut quidvis ab eo possim impetrare. Quin spero me brevi tibi exhibiturum hoc anno effictam, quae si tibi magis arridebit, tum tua sit optio, utram malis tibi servare. (Cod. Upsalens. I, 52.) G. (* 1455 † 1538) war damals Professor der lat. Literatur in Löwen.

---

7. Johann van Campen an Dantiscus.

1531, Mai 12. Löwen (Präs. Mai 14. Gent.)

Er dankt für ein Bild des Dantiscus, will die Psalmen bald vollenden.

S. Accepi, ornatissime praesul, imaginem tui ad vivum elegantissime expressam, qua nihil mihi gratius abs te mitti potuit. Mirantur quotquot viderunt tantum non vivam illam imitationem. Quod toties et tam avide legeris ineptias meas, magis in causa esse puto Campensis tui nomen adscriptum, quam id quod in eo libello et psalmis aliquod est meum qualecunque sit. Certe pergere me cogis laude et precibus tuis; quare tu videris, quo id iudicio facias. Brevi spero accipies psalmos omnes; rebus enim aliis ommissis totum me tua causa illi operi absolvendo et recognoscendo impendam. Intervenit nonnihil quod consilium meum de profectione turbaverit, quare hoc proximo mense non sum quoquam abiturus, et fortasse non ante Septembrem. Quam rem ideo minus fero moleste, quod et tibi interim gratificari hinc potero et quod visurum adhuc semel te sperem. Promittis enim Goclenio nostro rediturum te ad nos. Vale, praesulum decus, et Campensem tuum tuis clientulis annumera.

Lovanii 12. Maii 1531.

Tuus modis omnibus Ioannes Campensis.

Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 3. fol. 55.

---

8. Conrad Goclenius an Dantiscus.

1531, Mai 21. Löwen.

Ueber die Bilder des Erasmus, des Kaisers und des Dantiscus.

Salutem plurimam. Quod munusculum meum boni consulueris, Dantisce praesulum eruditissime, non potest dici quam mihi gratuler. Et qui Erasmo ob plurima eius in me privata officia arctissime fui antehac devinctus, nunc non minus illius simulacro me debere intelligo, quo non aditus quidem patefactus est ad amicitiam summi herois, quacunque parte quis velit censere Dantiscum genere fortunis ingenio virtute clarissimum. Nam ipse, quae tua est humanitas, vere-

cundiae nostrae fores ultro aperuisti, sed quod illa occasione eousque ultra primum familiaritatis limen promoverim, ut per epistolas etiam in intima penetralia ausim perrumpere. Quo quoniam etiam videris invitare, confidentius posthac utar permisso, nec verebor quibusvis de rebus apud te garrire potius quam ut patiar meum nomen apud te venire in oblivionem. Ceterum de aetate, qua fuerit Erasmus, cum imago eius depingeretur, non possum in praesentia pro comperto affirmare, sed efficiam brevi tempore, ut tibi constent omnia. Quod ad Caesaris imagines pertinet, curabitur non minus diligenter quam celeriter. Tentata res est frequentissime in argento, sed hactenus nunquam successit satis pro expectatione. Sunt tamen artifices, qui promittunt rationem molliendi argenti, ut non minus fusile fiat quam plumbum, sed veremur, ne nobis dent verba. Verum utcunque illud accidat, e gypso fingere nihil est facilius. Si qua alia in re Tuae Reumae. Celsitudini possim gratificari, impera mihi quidvis, ut tibi addictissimo. Campensi nostro perquam gratum fuit simulacrum tui plumbeum, quod et ipse curiosissime sum contemplatus, et in eo Dantiscum libentissime et cum quadam voluptate agnovi. Et si eiusmodi artifices tibi domi sunt, ut praedicat Campensis, equidem summi beneficii loco ducam, si me quoque tali munere digneris. Cleonardo renunciavi quae voluisti, quemadmodum licebit intelligere ex eius epistola, quam cum mea accepisti. Bene vale. Lovanii 12. Idus Maii Anno 1531.

T. Reumae D. deditissimus Conradus Goclenius.

Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D 3. fol. 46.

---

9. Johannes van Campen an Dantiscus.

Ohne Datum. (1531 Juli? Löwen?)

Ueber den Druck der Psalmenparaphrase, eine Zusammenkunft mit Melanchthon, die Krankheit des Gemma Frisius.

Quando putas, praesul ornatissime, vacabit Parnormitano legere cum iudicio totum psalterium? Ego certe, quod ad me attinet, minus formido censuram Panormitani quam theo-

logorum; sed ideo cupivi potius hic alicui hoc dari negotii, ut finem citius assequerer. Mitte quaeso per aliquem ex tuis quinquaginta illos quos habes; si tum illis lectis alios ille videre volet, ego eos ipse adferam ad illum. Offert mihi Episcopus quidam Gallus se curaturam, si mittere voluero exemplar, ut edantur cum privilegio regio aut Parisiis aut Lugduni. Mitterem reliquos, nisi is, cuius manu priores quos habes quinquaginta scripti sunt, abiisset hinc cum cubiculario Legati in Galliam. Spero huius comoediae laetum aliquem exitum, quae initium habet tam triste. Puto Dominum Deum voluisse me non solum intelligere paulo quam hucusque rectius psalmos hos hoc anno, sed et experiri adversa paene omnia, quorum in toto opere mentio fit. Complevi annum quadragesimum, sed nullo, quod sciam, quam hoc unquam vixi insuavius. Proficisci in Galliam propemodum certum est. Si tamen putarem Spiram venturum Philippum, profectionem differrem; valde cuperem posse cum illo colloqui; biduo aut triduo sperarem nos duos plus boni facturos in sedandis iis tumultibus quam factum est tot mensibus furiosis quorun(dam) clamoribus Augustae. Nec dubito quin Philippus ipse tam cuperet convenire me, quam ego illum. Sum enim nomine illi non minus notus quam ipse mihi. Vale Domine! Nuper Gemma[1]) hic serio aegrotat; ubi pristinam valetudinem receperit, scribam latius, aut ipse ego veniam. Ignosce precor, Domine, lituris neque me iudices quaeso ex moribus praesentibus. Iterum vale!

Tuus modis omnibus Joannes Campensis.

Adresse: Clarissimo modis omnibus viro D. Joanni Dantisco Episcopo Culmensi, Smi. Poloniae Regis oratori D. suo Bruxellis.

Original im bisch. Archiv zu Frauenburg D 6. fol. 125.

1) Vgl. den Brief des Gemma Frisius (geb. 1508 zu Dokkum in Friesland) vom 7. August 1531 (Dantiscusbriefe in Upsala I, 70), worin er Näheres über seine Krankheit meldet. Wahrscheinlich ist unter dem Namen Stratagema in den früheren Briefen des J. van Campen (oben Nr. 4 u. 5) G. Frisius zu verstehen.

10. Johann van Campen an Dantiscus.

1531, August 19. Löwen. (Präs. August 20. Brüssel.)

Urtheile über die Psalmenparaphrase. F. Titelmann's Commentar.

S. De Panormitano satis credebam illum hoc responsurum, sed de Feltrensi aliud expectabam. Cuperem valde scire, quidnam offenderet eos, verbumne unum an syllaba aliqua. Ego imputo omnia uni Francisco Titelmanno, iuveni imberbi, qui ante annos aliquot scripsit contra Erasmum, Iacobum Fabrum et Laurentium Vallensem, quos ipse conatus est docere graece, qui vixdum legere posset graece. Idem hoc anno edidit commentarios in psalmos, opus tam grande, ut asino oneri esse possit, cum privilegio Imperatoris, in quo opere et Hebraicam et Chaldaicam linguam se scire iactat, cum mihi ipse confessus sit, se nunquam cepisse Hebraicae multo etiam minus Chaldaicae linguae operam dare. Est et alius tibi notus, qui frigida suffundit statura corporis Homericos Tersites, vultu invidiam Ovidianam, meus olim discipulus, sed nihil minus agresticus. Qualecunque sit et quantumvis mihi molestum, non tamen haec res tanti mihi erit unquam, ut in gratiam Beginae Panormitanae ego velim monachus fieri Franciscanus. Nihil mihi dolet magis quam quod tu mea causa tantum susceperis frustra laboris et invidiae. Verum fieri poterit, ut scena harum rerum semel vertatur et alia appareat facies, quod, nisi me fallat animi praesagium, fiet brevi. Vale, Domine mi.

Lovanii 19. Augusti 1531.

Tuus modis omnibus Ioannes Campensis.

Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 6. fol. 20.

---

11. Johann van Campen an Dantiscus.

1531, August 27. (Löwen?)

Er will die Herausgabe der Psalmenparaphrasen noch verzögern.

S. Dum rem bene perpendo, nescio an velim irasci magis D. Panormitano et Feltrensi, quam gratias agere, qui monere me videntur, ut opus hoc psalmorum adhuc premam in annos

plurimos. Si enim Horatius poëma quodlibet in nonum premendum esse censet annum, in quo tum quaeso hoc mihi premendum censes; in quo tot ingenia tot annis infeliciter propter linguae Hebraicae vel contemptum vel imperitiam sudaverunt. Quare si tu, Domine mi, contentus esse posses illis quos habes, ego reliquos soli mihi servarem subinde recognoscendos. Rescribe quaeso, si molostum non erit, tuam sententiam. Ab eo tempore quo tuum huc misisti ministrum, non admodum recte valui; corripuit enim me puerilis prope modum morbus, propter quem tamen a prandio nunquam vel coena abstinui. Vale, Domine mi. Fortasse brevi adhuc semel invisam te, redii enim ad me prope modum. Iterum vale.

27. Augusti 1531.

Tuus quem nosti Ioannes Campensis.

Original im bisch. Archiv zu Frauenburg D. 3. fol. 51.

---

12. Johann van Campen an Dantiscus.

1531, September 16. Löwen. (Präs. in Brüssel.)

Er will die die Psalmen in Cöln oder Paris ediren.

S. Cuperem ex animo gratificari tibi, praesul ornatissime, sed non video, quo pacto possim praestare quod cupis diebus tam paucis quam hic mansurus videris. Praeterea librum edere me absente vix video, quomodo commode fieri poterit. Opus est, quod ipse non ignoras, in quo praeclarissima quaeque Graecorum et Latinorum ingenia sudaverunt; quam feliciter, ipsi viderint. Quare non expediet meo iudicio emittere illud in publicum, nisi adhibita cura diligentissima. Quare si tibi videbitur, remittes illos quinquaginta una cum selectis illis quos Ecclesiastae asscripsisti. Nam exemplaria illorum non invenio, ut eos recognitos prelo committam aut Coloniae aut Parisiis; nam decretum est mihi sedes mutare et hanc regionem ad tempus relinquere. Tu pro tua prudentia videbis, quid hac in re facere me velis; ad te enim res pertinet non minus quam ad me. Tuum enim est qualecunque

id est et tuo nomine prodibit, si prodierit in publicum. Quare te oro obnixissime, ut rescribere mihi quam primum non dedigneris, aut Gemmam nostrum cum illis quos habes adhuc semel mea causa remittere huc, ne forte, si alteri minus noto commiseris, codices, qui remittendi sunt, intercidant. Vale Domine mi.

Lovanii 16. Septembris 1531.

Tuus modis omnibus Ioannes Campersis.

Original im bisch. Archiv zu Frauenburg D. 6 fol. 21.

---

13. Johann van Campen an Dantiscus.

1531, October 2. Löwen, (präs. in Brüssel).

Er übersendet das Manuscript der Psalmenparaphrase.

Salutem plurimam. Habes, Domine mi, quod tantopere expetivisti. Quare statue de eo quidquid volueris, ego te facio patronum, autorem et parentem; in te enim situm est nunc, ut vel pereat vel vivat. Praeter te enim nullus habet, ne ego quidem ipse. Dictaveram ante biennium, si bene memini, auditoribus meis primos quadraginta, ut ostenderem proprietatem et phrases Hebraicae linguae. Illi sic excepti fuerunt et toties, ut amici dicunt, manu transcripti, ut fama nescio qualis in Gallias pervenerit. Illinc enim crebris literis hortor assidue, ut reliquos ad eundem modum absolvam. Verum ego nimium metuens iudicia hominum huius tam oculati saeculi nihil omnibus illis ad edendum commotus sum, sic mecum cogitans: non male vixit qui latuit bene. Verum tu finem non facis extorquendi precibus, pretio, minis, quare habe et quemadmodum tibi dignum videtur tracta. Nulla autem in re magis te Sarmatam praestare velim quam hoc in opere recensendo. Vale, Domine mi.

Lovanii, 2. Octobris 1531.

Tuus modis omnibus Joannes Campensis.

Original im bisch. Archiv zu Frauenburg D. 3. fol. 54.

---

14. Johann van Campen an Dantiscus.

1531, November 19. Löwen. (Präs. in Brüssel.)

Er berichtet über seine Augenkrankheit, bittet um das Urtheil Aleanders über seine Psalmen.

S. Quod te non salutaverim rediens Angia Lovanium, in causa fuit nova calamitas; reditus enim fui subito sive catarrho, sive vento, sive quod magis credo utroque, paene inutilis altero oculo, a quo malo nondum liberatus sum. Ubi ad me rediero, dabo operam, ut tibi gratificer quibuscunque in rebus potuero, idque — ita me Deus iuvet — tam ex animo quam ulli principi qui vivit toto orbe. Fama hic est Imperatorem profecturum Tornacum, quem credo comitaturum te; permittes ergo ut, dum tu Bruxella aberis, curem valetudinem meam. Habebis me, quandocumque voles et quocumque vocaveris, etiamsi in Sarmatiam ipsam aut ultra; propter candorem animi tui venire non recusabo. Venit quantum audio Bruxellam Hieronymus Aleander, vir doctus et linguarum peritissimus, sed Italus per omnia; cuperem valde iudicium eius scire de mea paraphrasi. Sed hoc unum te oro, ut diligenter illi dicas, si cum eo in colloquium veneris, me sententiam reddere conatum, non verbo verbum, quemadmodum alii plus satis ex Hebraeo fidi interpretes et, ne opus esset lectori prolixis et saepe dispendiosis commentariis, pluribus id aliquando egisse verbis quam hebraice habentur, orare me ut de re iudicet, an sententiam assecutus videar et libellus dignus illi videatur, qui in aliorum manus veniat, non tanquam nova versio, quae ullam ex veteribus antiquare velit, sed tanquam paraphrasis, plurima loca ab autoribus vel graecis vel latinis ob imperitiam linguae hebraicae parum intellecta succinctissime explicans. Vale, Domine mi, non permittit me oculus meus vel lineam ullam addere.

Lovanii 19. Novembris 1531.

Tuus modis omnibus Ioannis Campensis.

Original im bisch. Archiv zu Frauenburg D. 3. fol. 58.

15. Conrad Goclenius an Dantiscus.

1531, December 2. Löwen.

Dank für ein Geschenk; Nachrichten über J. van Campen.

S. Quod ceteris omnibus et animi et corporis ac fortunae dotibus non modo nos, qui humi repimus, sed illos etiam, qui in sublimi sunt collocati, tanto intervallo exuperas, Dantisce praesul eximie, in eo sane gratulandum est publicae felicitati et nostro saeculo, cui memorabile ornamentum et singulare decus contigit. Sed illud nobis inferioris notae hominibus prope pudendum video, quod et humanitate abs te vincimur et omni officiorum genere superamur. Non enim tibi satis fuit, quod me veluti in coelo collocaris, dum non ut scholasticum aliquem, sed prorsus tamquam parem excepisti, et eam praesenti exhibuisti benevolentiam, ac illo favore absens nostrarum fortunarum apud D. Alphonsum Valdesium iecisti fundamenta, ut audeam mihi certissima quaedam tuo patrocinio incrementa polliceri. Sed parum putavit illud esse tuus animus vere heroicus, verum etiam blandissimis literis nos provocas, ac summa civilitate officii intermissi admones. Quid dicam de munificentia singulari, qua Alexandrum illum magnum imitaris, qui non quo quisque esset dignus munere in exercenda liberalitate considerandum existimavit, sed illi rei sua ipsius magnanimitate modum putavit esse statuendum. Proinde cum nihil sit in me dignum tanti herois favore, sic tuum munus, quod proxime per Jasparem aurificem misisti, missum interpretor tanquam fructum aliquem tuae liberalitatis, quae non modo bifera est, ut solent quae in frugiferarum arborum genere fertiliora sunt, sed quotidie in varios multiplici foetu est foecunda; non enim neque assiduitas neque magnitudo obscuram esse patitur famam tuorum beneficiorum. Neque vero tam ipso munere delector quantumvis splendido, sed quod supra votum illud mihi accessit fortunae, cui cum abunde satis erat utrumque tibi tali inter proceres aulae praecipuo et inter eruditione insignes summo innotescere. Illud praeterea obtigit, ut videaris habere non in postremo numero tuorum quos diligis. In qua re sola, tametsi in reliquis omnibus simus inferioras, cum facile tecum paria facere possimus,

obsecro te per tuas Musas, ne ex silentio diuturniori iudices animum tibi deditissimum, sed potius id pudori meo adscribas, qui subinde meditantem scribere revocat et nefas esse admonet tuam Reumam Celsitudinem quotidianis literis interpellare, praesertim cum nihil acciderit dignum hactenus tuis eruditissimis auribus. Cuius rei si quando sese offeret occasio, partibus meis neutiquam sum defuturus. Interim tibi pro liberalitate in me tua summas ago gratias, libentius relaturus si quid in me esset opis. Campensem omnibus modis urgebo, ut tanto Maecenati sic de ipso merenti studeat gratificari. Nec puto deesse voluntatem, si vires corporis paterentur illum indulgere suo animo. Sed res videtur assidue, postquam collegium nostrum deseruit, in peius ruere et retro sublapsa referri. Contra omnia amicorum consilia initio malum contempsit, quodcunque sit, ipse scabiem puerilem vocat, sic iam adultam, ut possit vel virilis numerari, nisi credamus Campensem nostrum ante senectutem repuerascere. Nunquam tamen fuit spe meliori, ob mutatum medicum magnifice ut solent promittentem. Quod ad psalterii editionem pertinet, negat id Lovanii posse fieri ob edictum Caesaris. Nec nisi recuperata valetudine quoquam audere proficisci. Simul atque cum valetudine in gratiam redierit, nihil habiturum se prius, quam ut tuae voluntati obsequatur. Vehementer doleo tam iustam illi esse excusationem, praesertim cum in tanta paucitate Maecenatum non temere sit inventurus alterum Dantiscum tam exoptandas in hoc rerum statu conditiones illi offerentem, quas si non, ubi primum per valetudinem licuerit, arripiat, utraque manu equidem illum posthac ad agnatos et propinquos tanquam insanum iudicabo adducendum. Sed haec cum illo data oportunitate agam prolixius, et spero impulsurum quo sua sponte propendet, eventum tamen quem ipse praestare non possum, nolim etiam polliceri. Ubi compertiora super hac re habuero, non patiar te diutius ignorare. Vale, praesul Reume.

Lovanii altera Decembris Anno 1531.

E. T. Reumae D. deditissimus Conradus Goclenius.

Original im bisch. Archiv zu Frauenburg D. 3. fol. 60.

16. Conrad Goclenius an Dantiscus.

1532, Januar 21. Löwen.

Ueber den Streit zwischen Resendius und Vives; Verleihung einer Probstei.

Prudentiam tuam, Reume praesul, vehementer probo, qui eo temperamento Resendii nostri famae consulis, ut Vivetis[1]) viri, quod negari non potest, haud quaquam vulgariter eruditi maximam rationem ducas. Quem suo nomine palam traduci, et ipsius Resendii et studiorum causa nolim. Neque enim Resendio satis consultum in se, ut totam gentem Hispanicam provocet. Et Vives, tametsi praecipiti iudicio de universa poetarum familia deque Gellii vigiliis non omnino indignus videatur, cui male promerenti mala reponatur gratia, tamen cetera quibus eruditiores offendit potissimum posita sunt in moribus et petulantia effrenioris linguae, ideo certe aliquanto parcius feriendum censeo, aut ob virtutes non exiguas leviora vitia illi condonanda. Quod si omnino decrevisti in publicum edere hoc poematium, meo suffragio dignissimum lectu, nisi obstarent quae commemoravi, qui Resendiano nomini ea publicatione consulatur, nisi autoris titulo inscriptum edatur, equidem non video. Quod ad Vivem attinet, visum est et ipsi Resendio, qui hesterna die hac iter fecit in Germaniam, ut suppresso nomine res notetur cum hac inscriptione: In L. Charitaeum Gurdum, et ut pro Vivis nomine toto poemate Gurdi nomen substituatur. Cuius rei rationem ipse Resendius tibi explicabit, cui haec nomina primis visa sunt proxima, quanquam hac mutatione bonam partem gratiae suis vigiliis putat discessuram. Sed satius esse duco, ut ratio omnem vincat gratiam, ne dum alienam ulciscitur iniuriam, ipse iudicetur admisisse iniuriam. Quod autem aliquanto serius postulationi Tuae Reumae Cels. satisfeci, in causa fuit ingens turba salutatorum atque etiam mea ambitio, ut verum fatear, qui per hosce dies ipse quoque factus sum salutigerulus, dum e re nata occasione nolo videri inhumanior. Sed nullius colloquio vehementius sum delectatus quam D. Alphonsi Valdesii, qui favorem suum benignissime pollicitus, etiam illud testatus est, quanto studio apud illum egeris, ut nomi-

natio ad praepositum Hugardiensem ex animi mei sententia conficeretur. Neque adhuc desperandum esse, quanquam gravis adversaria competitorum sit comparata. Daturum sese operam in hac re, ut sentiam mihi in aula Caesaris et alios esse amicos praeter eos, quos habuerim hactenus praecipuos. Reipsa experior quam optimatum amicitiae sint foecundae. Interim abs Tua Reuma Cel. vehementissime contendo, ne porro mihi desis, siquidem tua autoritate palam video me omnes adversarios facile superaturum, praesertim si Valdesius animadvertat te constanti proposito rem urgere, meque quicquam mutasse de tua in me voluntate. Coepi me iampridem magnificentius gerere, atque e tua munificentia Sarmaticis pellibus splendidius ostentare. Quod si res Hugardica non procedat, vereor ne cum dedecore mihi tandem in ordinem sit redeundum. Proinde, quod tibi in manu esse arbitror, da operam ut fulcias quem erexisti, nec dehonestari patiaris, quem semel honoratum esse voluisti. Sed tamen utcunque id accidat, tanti Maecenatis certissimo favore me in omni fortuna non solum plenissime consolabor, verum etiam beatissimum iudicabo. Bene vale, Praesul Reume.

Lovanii 21. Ianuarii Anno D. 1532.

E. Reumae D. deditissimus Conradus Goclenius.

Original im bisch. Archiv zu Frauenburg D. 3. fol. 65.

[1]) L. A. Resendius aus Evora († 1573) u. J. L. Vives aus Valentia († 1541) lebten und lehrten längere Zeit in Löwen; der erstere ist als Dichter, der zweite als Philosoph und Kritiker bekannt.

---

17. Johann van Campen an Dantiscus.

1532, April 20. Nürnberg (Präs. in Regensburg).

Ueber den Druck der Psalmen und sein Zusammenleben mit E. Hessus.

Scripsimus D. Eobanus et ego ante dies aliquot literas, quas hospiti nostro in bove tradidimus, qui se promisit diligenter curaturum, ut ad te perferrentur; iterum tamen scribimus, ut si priores casu aliquo perierint, has saltem accipias. Excuditur hodie duodecimus quaternio, reliqui forte erunt ad-

huc octo, quos una cum his perferam ad te, si Deus vitam mihi concesserit, in principio mensis proximi. Miror hospitem postridie nihil meminisse eorum, quae illi abiens dixeras de pecunia mihi tuo nomine danda; promisit tum se daturum, quantum vellem. Ego in meos usus nihil adhuc ab eo accepi, Petreio dedit florenos decem. Si haberem libellum tuum, in quo Ecclesiastes descriptus est, iungerem psalmis; aut ergo mittes nunc, aut in aliud tempus servabis. Quamquam tibi, Domine mi, mea sic omnia debeo, ut ne vitam quidem excipere queam, tamen nescio quo pacto tibi plus tibi quam omnia debere cogar, quod me huic humanissimo et eruditissimo viro Eobano commendaveris. Vivimus plane poetice, nonnunquam et potatice, sed tam modeste, ut si tu per rimulam aliquam nos videres et colloquentes audires, certe scio nobis eam felicitatem invideres, aut certo particeps esse velles; incipio melancholiam ante biennium conceptam hic nonnihil evomere.[1]) Vale animo meo carissime praesul.

Norembergae 20. Aprilis 1532.

Tuus modis omnibus Ioannes Campensis.

Original im bisch. Archiv zu Frauenburg D. 3. fol. 73.

[1]) In zwei andern Briefen vom 16. und 26. April (D. 3. fol. 71 u. 72) spricht sich J. C. ähnlich über E. H. und den Drucker Petrejus aus.

---

18. **Johann van Campen an Dantiscus.**

1532, Mai 3. Nürnberg.

Widmung der gedruckten Psalmenparaphrase an Dantiscus nebst dessen einleitendem Gedicht.[1])

Reverendissimo D. Ioan- | ni Dantisco Culmensi | Episcopo, Regis | serenissimi Poloniae apud Caesa- | riam Maiestatem Oratori etc. | Ioannes Campensis S.

Habes tandem, modis omnibus ornatissime praesul, succinctam in psalmos omnes paraphrasim, iuxta Hebraicam veritatem, in qua cum verbum verbo respondere non potuerit, versus tamen versibus secundum Hebraeorum exactissimam distinctionem, exacte respondent, qui in vulgata editione

plurimis in locis confusi rem per se alioqui obscuram plus satis obscuriorem reddiderunt. Quis autem fuerit autor huius editionis, qua Ecclesia utitur, mea non multum refert, hoc unum tantum affirmo, indignam esse quae divo Hieronymo tribuatur: constat hunc per omnia graecam editionem secutum, vertisse quicquid vertit, cuius non minus obscurus est autor, quam est nostrae huius. Certum enim est ex ipso Aristaea, qui septuaginta duos interpertes iussu Ptolemaei regis in Aegyptum perduxit, quique quid egerint, quomodo a rege excepti fuerint, quot horas versioni singulis diebus impenderint, quodque non septuaginta cellulis, alii ab aliis seclusi fuerint, sed in una domo consultantes inter se, consonum quiddam ediderint, quod graeco Demetrio describendum traderent, unico libello complexus est. Ex hoc ergo certum est et ex Iosepho in praefatione antiquitatum Iudaicarum, imo ex ipso divo Hieronymo non uno tantum loco, ipsos septuaginta duos tantum legem, hoc est quinque libros Mosis, in linguam graecam transtulisse; absolverunt enim id, ad quod vocati fuerant, eo, inquit Aristaeas, dierum numero, quo erant ipsi, hoc est duobus et septuaginta. Haec paucis hic non sine causa commemorare libuit propter receptam, sed perniciosam persuasionem in Graecis de septuaginta et Latinis de vulgata editione, quod ea sit divi Hieronymi atque ob id in neutra quicquam mutare ex ipsis Hebraicis fontibus liceat, cum extet iuxta Hebraicam veritatem editio alia, quam certissimum est esse ipsius Hieronymi: quamvis ecclesia nescio quomodo eam non receperit. Qui ergo nunc conatur melius quiddam afferre, quam usu receptum est, non diversum a Hieronymo, cum iniuria sanctissimi et doctissimi viri facit, sed idem penitus, quod olim faciebat ipse. Verum haec hactenus, ad me enim non multum pertinent, qui non interpretem ago, sed paraphrasten quique autoritatem in ecclesia nullam ambio, nec cuiquam iniuriam facio, nisi forte obscuros locos, eosque non paucos ob nimis scrupulosam in reddendo verbum verbo fidem, explicuisse aliis verbis apertioribus, sit iniuriam facere. Ego tantum nativum quendam gustum horum psalmorum dare volui, futurum sperans, ut olim ecclesiae consensu totum

vetus testamentum doctis et linguarum peritis in nostram linguam transferendum committatur, quemadmodum audio hunc nostrum summum pontificem Clementem septimum ante nuperrimam Romanae urbis expugnationem tentasse, ut videlicet ea provincia sex Iudaeis et sex Christianis hebraice peritis mandaretur. Sed ad rem nostram revertamur, hanc paraphrasim, quam tantopere in publicum prodire cupis, maxima ex parte, ante aliquot annos Lovanii cum linguam Hebraicam in Buslidiano collegio profiterer, auditoribus meis non in hoc dictaveram, ut unquam evulgaretur, sed ut aliquos ad studium Hebraicarum literarum invitarem, re ipsa ostendere conatus sum, non utilem solum, sed necessariam fore ad sacros autores intelligendos eius linguae nonnullam cognitionem, quod quam videatur verisimile aliis nescio, de me hoc dicere possum, quod nullis commentariis in hunc psalmorum librum (puto enim me omnes propemodum legisse qui aliquo modo in pretio fuerint) tantum adiutus fuerim, quantum exigua, imo propemodum nulla sacrosanctae huius linguae noticia. Habe itaque, mi Dantisce, non nostri tantum saeculi praesulum decus, quod a me nullus impetrasset alius, quantumvis id multi conati sint, et boni et docti nec mediocriter magni viri, non quod illos iudicaverim hisce meis nugis indignos, sed quod mihi persuadere nunquam potuerim, aliquod inesse, quod doctis placere posset. Quid ergo causae sit fortasse ipse tu rogabis, cur nunc tibi dem, quod nulli dare constitueram. Paucis respondebo: fama nominis tui, qua mihi annis non paucis cognitus fuisti, et ipsa praesentia, quae famam adeo non minuit, ut auxerit etiam vehementer, cogunt me credere plus tibi, quam ipsi mihi: deprehendi enim non fallacibus argumentis reculam quandam in te; oportet enim minimum quiddam esse, quod vix ulla linguae pluribus dignata est syllabis, quam una; ea Hebraeis leb, Graecis νοῦς, Latinis mens, tu si voles ex reliquis linguis addes, novisti enim totius Europae ferme omnes; haec certe syllaba magis me rapuit in amorem tui, quam ullae tuae opes, aut in me innumera alioqui beneficia, et quid me non raperet, cum per eam, cum summa eruditione et nequaquam Sarmatica civilitate coniunctam, ad pontificale culmen evectus sis, et merito apud potentissimos principes tam sit gratiosus meus hic Sarmata, ut si quodlibet indutus celeberrima per loca vadat, omnis Dantiscum deceat color et status et res. Vale, Domine mi, et has qualescunque laboris mei primitias consule boni, meliora tibi promitto et alia multa et haec fortassis ipsa, si Deus vitam concesserit.

Norimbergae 3. Maii 1532.

Ioannis Dantisci, episcopi Culmensis, in eandem paraphrasim Epigramma.

Pura mente deum, si vis cognoscere lector
  Et quis sit verae religionis amor,
Et quibus ipse modis deus est orandus et illi
  Fidere quo possis pectore, labe reus,
Haec lege divini sacrata poëmata vatis,
  Qui fidei nostrae fons et origo fuit.
Ex cuius sacro, mundi servator Iesus,
  Semine, mortali corpore factus homo est.
Cum falsis veteres diis interiere poëtae,
  Nominis illorum fabula sola manet.
Hic cum perpetuo viget omni tempore Christo
  Istud et in terris dulce reliquit opus.
Dulce quidem numeris sed sensu dulcius omni
  Melle, quod ex hybla sedula legit apis.
Clarius hoc tandem Campensis reddidit orbi
  Interpres linguae candidus Hebraicae.
Perlege, ne pigeat, mentem super astra levabis,
  Plusque pius fies quam modo, lector, eras.
Non hic castalios ficto de fonte liquores,
  Sed quos dat Christi spiritus, ore bibes.
Quae quondam prisci finxere poemata vates
  Mentitis pollent omnia plena iocis.
His est firma fides, hic spes, hic fervor amoris,
  Quem quisque in summum debet habere Deum.

[1]) Cf. Psalmorum omnium iuxta Hebraicam veritatem paraphrastica interpretatio, autore Ioanne Campensi, publico, cum nasceretur primum et

absolveretur, Lovanii Hebraicarum literarum professore. R. D. Dantisco episcopo Culmensi etc. dedicata. Cracoviae apud Florianum Vnglerum Anno M. D. XXXII. 8° fol. 160. Es wurde also die Nürnberger Ausgabe des Petrejus, die uns nicht vorliegt, noch in demselben Jahre in Krakau nachgedruckt. Später erschienen noch mehr als 30 Auflagen in Antwerpen (1533), Basel (1553), Cöln (1534), Leyden (1534 u. 1536), Paris (1533 u. 1565) u. s. w.

---

19. Eobanus Hessus an Dantiscus.

1532, Juni 12. Nürnberg. (Präs. in Regensburg.)

Ueber seine poetische Bearbeitung des Ecclesiastes &c.

Salve, optime ac humanissime princeps Dantisce, patrone mi. Quod toto eo tempore quo a te abii nihil a me literarum acceperis, in causa primum fuit, quod ex molestissimo itinere mirabiliter aliquot diebus nauseabam et aegre concoquebam istas Ratisbonenses crapulas. Cum ecce hic novis et ferme quotidianis interim accipior ab amicis qui vel reducem me amplexabantur vel novi cum his principibus advenerunt, a quibus cum tandem me extricassem, reversus ad mea studia Ecclesiasten paene absolvi versu elegiaco. Quod velim Campensi nostro dicas, me nunc ipsius quasi auspiciis constanter et fortiter militare, quamquam et hoc et omne militabitur in tuae spem gratiae. Quid vero istic de meo repentino, ut ne dicam clandestino, abitu sentiatis, scire pervelim. Nosti, quam sint poetis heteroclyta capitula et num ego tibi vesperi, hoc est pridie eius diei, quo abiturus eram, dixeram abiturum postridie me esse, etsi pediti foret abeundum? quod ita quidem per spatium duorum millium factum est, tum forte fortuna currum nactus Nurenbergam salvus perveni. Interim nec a te nec a Campensi ullas accipio literas. Causam mihi ipse fingo, quod fortasse meas vos expectetis aut, si irati mihi estis, quod insalutatis omnibus istic domesticis abierim, cogitabitis quamdiu contra praescriptum meum vobis morem gesserim, deinde quae me res coegerint festinare. Tibi, mi patrone, scio quid sim pollicitus, nempe rediturum me perfecto Ecclesiaste, quod quia paucis diebus est futurnm, scire valde cupio,

sisne adhuc in eadem sententia atque isthic tamdiu permansurus, donec ego rursus descendam ad Danubium; ego vero si voles intra octiduum tecum ero, et quamquam nec pennas habeo nec ungulas, tamen vel curram vel volabo, quo et quando iusseris. Sunt enim et erunt tua erga me immortalia beneficia, cui et si quae debeo praestare fortassis non possum, dabo tamen operam, ut omnis posteritas ea me sinceriter praestare voluisse intelligat. De conventu horum principum nihildum certi est quod scribam, et vos quae hic agantur melius istic quam nos hic scire existimo. Hessus non advenit, sed tamen e suis quosdam misit, venturus et ipse a quibusdam existimatur, ἀλλὰ ταῦτα ἐν γούνασι θεῶν κεῖται. Saluta precor amantissime nostrum Campensem, illud amabile et candidum pectus, cui scribere nunc non licuit, cum ad coenam properarem, vocatus ad optimum virum D. Praepositum Divi Laurentii. Quantus ego hic tuarum virtutum ecclesiastes sim, non credis; nam circumveniunt et urgent me, nec respirare sinunt de te velut concionantem. Fortunate Dantisce, qui tuarum virtutum praeconem Eobanum invenisti. Non enim non possum iocari tecum tam candide iocos omnes accipienti. Saluta optimos viros, fratres germanos tuos D. Bernhardum et Georgium, dulcissimos nuper congerrones et collusoros meos. Avidissime tuas literas expectabo nec veniam, nisi vel literis vel nunciis significaris. Salutat te amanter uxorcula mea ac nihil omnino aeque se desiderare ait ac saepe te videre atque alloqui, idque inprimis quod tu nuper scribebas, fieri te sibi compatrem. Labor meus in ecclesiasten spero non erit tibi et Campensi ingratus; digna enim res est, in quam vel maximi quique impendantur labores. Sed nos de paupere vena quas damus exiguae decutiuntur opes. Vale praesulum ac literarum decus vere unicum.

Nurenbergae, XII. Iunii M. D. XXXII.

Vere tuus Eobanus Hessus.

Salutat te reverenter noster Ioachimus, qui quamquam haec scribenti non aderat, tamen hoc ut facerem iam saepe mandavit.

Orignal im bisch. Archiv. D. 3. fol. 77.

---

20. Eobanus Hessus an Dantiscus.

1532, Juni 20. Nürnberg.

Ueber den Ecclesiastes, Johann van Campen &c.

S. Ad Campensis nostri literas rescripsi quicquid ad te scribendum esse putavi, optime Dantisce, quamquam et ad te paucos ante dies literas dederam, quas video nondum fuisse redditas tibi, cum tu et Campensis scriberetis. Spero tamen nunc esse redditas, ex quibus intelliges, quam invitus a vobis discesserim, quod tu dicis poetice factum, nec ego multum nego poetam vesanum fuisse me eo tempore. Sed quid facerem: abeundum utique erat, et mane, cum surgerem, nemo ferme tuorum surrexerat et Campensis iam suo more exierat ad Danubium. Itaque vale dicere nulli praeterquam tuo fratri Bernhardo potui, qui et ipse adhuc tum profundo stertebat somno et non credebat me tam repente abiturum. Quare, mi carissime patrone, nihil erat quod de me esses anxius, qui etiam si peream, citra iacturam peream, nisi tu fortassis iacturam esse existimas malis poetis pereuntibus malos perire versus. Nunc si post octiduum, ut scribis, abiturus es, quid ego redeam? metuo ne te non inveniam et frustra veniam, neque enim Caesarem et omnes principes tanti facio, ut propter eos hinc me moveam. Te sequar libentissime, quocunque voles gentium. De ecclesiastice Campensi scripsi; bonam iam eius partem in versus conieci, reliquum item absoluturus brevi, et omnino antequam ad te redeam, nam super ea re tuas exspectabo literas. Non spero te tam brevi abiturum. Scio enim, quam te non facile dimittat Augustus quamque non anxie te revocet tuus Sigismundus. Salutes oro meo nomine carissimum Campensem, quem et filiola mea, ipsius uxorcula, item et mater mea Regina, quae et te plurimum ac reverenter salutat. Salutant et Campensem duae familiae meae cum quibus ipse consuevit etc. Dominus Cornelius egregie me implevit veteris Bacchi(donis) pinguisque ferinae. Salutat te reverenter noster Joachimus.[1]) Vale mi studiorum meorum Maecenas. Noribergae 20. Junii M. D. XXXII.

Tuae Rmae. Do. vere deditus Eobanus vel Banuseo.

Original im bisch. Archiv D. 3. fol. 78.

[1]) Camerarius, der damals im Verein mit Eoban H. in Nürnberg lehrte.

---

21. Eobanus Hessus an Dantiscus.

1532, Juni 24. (Nürnberg ?).

Er empfiehlt den Michael Memberg aus Nordhausen.

S. Qui tibi hasce reddidit, humanissime mi patrone Dantisce, homo est ut mei amantissimus ita apud suos summo loco, Michael Membergius, praefectus non modo Cancellariorum sed etiam senatus urbis Northusii in Thuringis. Is cupit vehementer impetrare apud Caesaream Maiestatem rem quandam, quam ipse coram exponet tibi. Nunc rogo te propter humanitatem tuam erga me prorsus imcomparabilem, huic meo amico et opera et consilio sic adsis, ut intelligat meam sibi commendationem apud te profuisse. Quamquam vero nihil dubito iniquo animo ferre te aliquid abs te anxie me petere, tamen cum amicissimi viri causam promotam cuperem, putabam novo literarum genere apud tuam Reumam D. agendum, ut intelligeres nec vulgarem esse amicum hunc mihi nec de re contemnenda agi, quamquam res quidem magna non est et ut spero impetratu facilis et quam neque tu improbabis. Potes vero tu apud Alphonsum Valdesium omnia; ut interim taceam, quam habeas faventem et quasi in manu Caesarem. In summa, nihil potes tuo Eobano facere gratius, quam si huic viro quantum possis in causa non magna prosis, idque totum quidquid in hunc contuleris beneficii in me collatum existimes. Nunc quoniam hanc causam satis egisse videor, rogo te quid respondes ad proximas meas literas, quas tibi redditas esse (non) dubito. possumne redire ad te? . . .

Vale mi Dantisce. Die Ioannis Baptistae 1532.

Original (am Schlusse defect) im bisch. Archiv zu Frauenburg D. 3. fol. 80.

---

22. Eobanus Hessus an Dantiscus.

1532, Juli 1. Nürnberg.

Er empfiehlt den Sebald Münster (Prof. der Rechte in Wittenberg † 1539).

S. Rogavit me harum lator, optime princeps, eximius vir Dominus Doctor Sebaldus Monsterus Noribergensis, ut se tibi per epistolam quantumvis brevem commendarem, quod

cum libenter in gratiam tanti viri essem facturus, suspicabar primum ex tuis proximis ad me datis literis te iam omnino abiisse eamque ob rem, si quid scriberem, frustra me scribere. Deinde cum omnino mos gerendus esset amico nihil iniustum nihil etiam indignum flagitanti, duxi vel frustra potius scribendum esse quam non gratificandum amico. Rogo itaque te, mi carissime patrone, ut hunc virum ea qua reliquos omnes soles quos tibi commendo benignitate complectaris; hoc in verbo quia insunt omnia, plura non adiiciam, et tu nosti Laconismos meos. Velim, si diutius tibi manendum sciero Ratisponae, redire ad te, quod ut mihi significes (patrone?) summe, te summopere rogo. Saluta omnes nostros, hoc est Campensem et fratres germanos tuos et vale felicissime.

Noribergae, prima Iulii 1532.

Tuae Reumae Do. vere deditus Eobanus Hessus.

Original im bisch. Archiv zu Frauenburg D. 3. fol. 76.

---

23. Lazarus Bonamicus an Dantiscus.[1])

1532, November 24. Padua.

Er bittet um die Beschreibung von Südamerika rc.

Ioanni Dantisco, Episcopo Culmensi, omni laude dignissimo et in maioribus mihi quam observatissimo. — Ab eo tempore, quo tibi de episcopatu gratulatus sum, propterea nihil scripsi, quod te ex aula Caesaris decessisse audiebam nec, ubi esses aut cui ad te darem literas, scire poteram. Ubi vero ex Hosio cognovi, esse qui ad te proficisceretur, committendum mihi non putavi, ut is sine meis literis ad te iret. Et quamquam nihil erat, quod aut tua aut mea interesset scribi, ipsum tamen tecum per literas colloqui, ut coram antea solebam, iucundissimum mihi videbatur. Quid enim abs te profectum est non iucundum? ut quae etiam in spe sita sunt afferunt interdum voluptatem. Ego quidem qui sperabam abs te consequi Germaniae descriptionem, ut Bononiae eras pollicitus, incorruptam, moriar nisi summa mea cum voluptate expectabam. Qua in expectatione diutius fui, quam non

interdum verear, ne idem tibi acciderit quod nostratibus sacerdotibus, si quo sacerdotio paulo locupletiore augeantur. Nosti repentinam morum et vitae commutationem, tanquam in Circes manus inciderint. Sed haec ioco, quo te excitarem, ut non modo Germaniam promissam ad me mitteres, sed etiam quidquid in eo genere abs te probaretur. Iudicium tuum mihi notum est, et nos mirandum in modum huius disciplinae studio hoc tempore tenemur. Quo ita sum incensus, ut audeam abs te petere, sive tanquam ab episcopo dignissimo ac rarissimo multorumque dissimillimo sive tanquam ab optimi regis legato gravissimo et liberalissimo eodemque et amicissimo et doctissimo viro, ut quod sine tuo magno incommodo fiat, tria illa commentaria rerum ultra aequinoctialem ab Hispanis Lusitanisque inventarum, quae ex Hispania rediens in Poloniam miseras, studiose descripta ad nos cures perferenda. Sumus enim avidiores haec cognoscendi quam argenti et auri. Quare bonitatis et benevolentiae tuae erga me fuerit, quidquid hac in re commodare possis et quidquid ab aliis consequi, id tibi tantae curae esse, quanto nos in desiderio harum rerum esse intelligis. Quod te libenter facturum exploratum habeo. Vale et nos tui studiosissimos dilige.

Patavii raptim IX Kal. Decembr. M. D. XXXII.

Lazarus Bonamicus tui studiosissimus et cupidissimus.

Original im bisch. Archiv zu Frauenburg D. 67. fol. 160.

[1]) L. B. (* 1476 † 1552) war damals Prof. in Padua.

---

24. Eobanus Hessus an Dantiscus.

1533 (?), November 15. Marburg. (Präs. 27. December in Krakau.)

Er empfiehlt den Joh. Rudel, Prof. der Rechte in Marburg († 1540).

S. Non dubito, clarissime Praesul Dantisce, quin iam dudum sinistram aliquam de me suspicionem concipias, qui tanto iam tempore etiam provocatus ab tua humanitate tibi non respondeam, quod tamen, o clarissime vir, nulla mea negligentia accidisse utinam tam tibi persuadere possim, quam est verum; nam primum omnium via longa et magna locorum inter nos distantia hoc ipsum fieri saepe prohibet, et volebam,

ut me deus amet, saepe, sed neque per fortunam meam, quae non credis quam mirifice me exerceat, licuit, neque etiam raritate tabellariorum potui. Sunt vero omnia vobis principibus viris magis in promptu, quam nobis inferioris notae homunculis. Tamen utcunque ista sese habent, doctissime Episcoporum, tuam humanitatem, quae summa est, rogo, hunc virum valde bonum et mihi carissimum doctorem Ioannem Rudelium tibi sinas meo nomine esse commendatum. Est a principe nostro Philippo ad tuum atque adeo nostrum regem longe optimum Sigismundum legatus in causa, quam ex ipso intelliges melius multo, quam ego scribere vel queam vel velim. De hoc igitur satis; mea fides, o mi Dantisce, perpetuo, sicut me Deus amet, constabit firmissime. Homerus tibi dedicabitur, sicut sum pollicitus Ratisponae multis bonis viris audientibus, nec hoc propositum mutabitur, et iam miror te Ecclesiasten nostri Campensis a me carmine redditum tuoque clarissimo nomine inscriptum non vidisse, cuius exemplum si habuissem, misissem. Quo vero abiit Campensis?

Mi Dantisce, permitte ut sic tecum loquar, rescribe precor de omnibus tuis rebus et quidquam in tuo regno agas, ego certe in meo valde regie vivo, hoc est — reliqua intelliges. Caetera ex Rudelio audies. Marpurgi 4. post Martini. (1533.)

tuus Hessus.

Original im Museum des Fürsten Czartoryski zu Krakau Ms. 240. fol. 165.

---

25. Johann van Campen an Petrus Tomicki.

1534, Februar 19. Krakau.

Er übersendet seine Bearbeitung des salomonischen Spruchbuches.

Reverendissimo Patri D. Petro Thomitio, Episcopo Cracoviensi, regni Poloniae Vicecancellario, Iohannes Campensis salutem dicit plurimam.

Non habeo in praesentiarum aliud, modis omnibus ornatissime praesul, quo gratias referam pro humanitate et munificentia per te mihi exhibita, quam chartam in hoc munusculum in tua mihi Sarmatia natum, quod ideo spero ingratum

non fore, quamvis rude sit et parum expolitum, quod sciam te, ut praesulem decet, sacrarum literarum esse amantissimum. Cuius rei vel hoc unum esse potest certissimum argumentum, quod studiosissime, maioribus quam mea tenuitas meretur promissis, mecum egeris, ut aut apud te, aut quod idem est fere Cracoviae manerem. Quae tua eximia humanitas hoc effecit, ut mihi idem apud te acciderit, quod apud Dominum meum Dantiscum, qui me toto biennio tam habuit humaniter et liberaliter, ut cum negotia mea manere me apud illum non sinerent, discedere tamen, non nisi moestissimus, potuerim. Ad eundem modum apud Tuam Paternitatem manere non licuit et discedere tam parum libuit, ut conditionem oblatam neque acceptare neque omnino recusare potuerim. Interim, quod pollicitus sum, in ea quam ex animo amas celebri tua Cracoviensi academia subsistam, donec Paulinas aliquot epistolas praelegero. Erunt credo haec sapienter et scite a sapientissimo Salomone dicta alia etiam ratione non ingrata, quod tamquam spiritualem habeas filium Sigismundum Augustum, iuniorem Poloniae regem. Nisi enim vehementissime fallar, in hoc libello inerunt non pauca, formando nobilissimo illius pectusculo, udae adhuc et molli caerae simillimo, vehementer idonea; quare tuum erit ea auribus illius saepe inculcare, ne hoc ei eveniat, quod Deus ab ipso et toto regno avertat, quod olim Roboam Salomonis filio et in regno successori, cui primum haec scripta sunt. Ille enim, sanctissimorum patris et matris monitorum oblitus et iuvenum consilia secutus, decem tribus alienavit a se et perdidit, servatis aegre duabus. Tuum neque hoc erit, Episcope vigilantissime, qui et haberis et es, post Regiam Maiestatem, patriae alter pater. Quamquam enim habet sapientissimum patrem Regem et cordatissimam matrem Reginam, sicut et ille habebat, aetas tamen illa et regia fortuna requirunt, ut quam saepissime officii sui admoneatur. Vale simpliciter, prudentissime Antistes, ad annos plurimos, sicut nunc vales, mente sana in corpore sano, et munusculum hoc Campensis tui, quamvis muneri tuo impar sit, boni consule.

Cracoviae 19. Februarii 1534.

Mitterem codices aliquot impressos, nisi nimis fieret magnus fasciculus. Brixiolum meum varragium(?)satis credo D. Vestrae Reumae gratum faciet. Iustus Decius, Georgius Hegel, Carolus Cretzer in hoc sunt, ut fidum inveniant nuncium, qui fasciculum hunc ad Vestram Dominationem perferat. Carolus Cretzer de literis Magnifici D. Cornelii, quae redditae non sunt, excusat se per hoc quod eas Hans Hegeler tradiderat, ego hominem non vidi.

Original im bisch. Archiv zu Frauenburg D. 3. fol. 96.

---

26. Johann van Campen an Dantiscus.

1534, Februar 23. Krakau. (Präs. März 24. in Löbau.)

Er berichtet über seine Aufnahme bei B. Tomicki, die Vorlesungen über die paulinischen Briefe, die Ausgabe der Proverbia rc.

Reverendissime Pater! perveni tandem Cracoviam in itinere et in Czelsa decem diebus humanissime a Reumo D. Cracoviensi habitus. Bonus ille et pius senex voluit, ut illic diebus aliquot subsisterem et capita quaedam Pauli illi praelegerem, astante familia quae latine novit et avidissime auscultat, quamquam praesule ipso avidius nemo. Ita factum est, ut octo prima capita ad Romanos paucis explicuerim; cupivisset optimus antistes me diutius retinere et plura audire, sed ego properabam Cracoviam, ut proverbia et commentariolus, in duas nimirum Pauli epistolas ederetur.[1]) Videns autem praesul ipse mihi hoc esse vehementer cordi misit me suo curru cum quatuor equis Cracoviam, ipse vero mansit in praedio, non venturus Cracoviam ante festum palmarum. Donavit mihi vestem talarem elegantibus subductam pellibus, obellam vesticulam interiorem eiusdem generis pellibus subductam, februariolum praeterea holosericum subductum martibus; addidit praeterea decem florenos pro viatico, liberaturum ultra haec omnia puto illum me ex hospitio, in quo hic sum nimis sumptuoso. Ut autem animi mei gratitudinem quoquam ostenderem, dicavi illi proverbia, quae iam coepta sunt excudi. Et commentariolus coeptus est; ubi absoluta fuerint, curabo ut per Georgium Hegel exemplaria aliquot mittantur ad

Dominationem Vestram. Offendi hodie fasciculum literarum missum ad Reumam V. Paternitatem per ipsum Carolum Crutzer a Magnifico D. Cornelio, qui iterum missus est Constantinopolim, quemadmodum Vestra D. ex literis intelliget. Huic fasciculo non dubitabam quin aliquid inesset scriptum ad me, quare aperi, sed nihil inveni praeter literas a nostro seniori et mirabili Petro. Forte Cornelius nondum resciverat me a D. Vestra discessisse. Est praeterea psalteriolum meum, cui ex imitatione Parisiensi adiectus est Ecclesiastes, Lugduni impressum, ab eodem Cornelio D. Vestrae missum. Oro quantum possum obnixissime, D. Vestra aegre ferre non velit, quod fasciculum aperuerim, nihil enim intus laesum est, sed tantum externum signum, cuius loco ego imprimam meum. Brevissime scribam et V. Reumae D. plura et D. Bernhardo, quando et exemplaria mittam, aut etiam ante. Non gravetur quaeso D. Vestra aliquando Campensem suum literis invisere. Valeat quam diutissime Reuma Vestra Paternitas cum tota cognatione sua, cui ex animo commendari cupio.

Cracoviae 23. Februarii.

Ne omnino hic nihil agam, iussu Reumi D. Cracoviensis Paulinas aliquot epistolas praelegere constitui.

Reumae D. Vestrae addictissimus famulus
Ioannes Campensis.

Original im bisch. Archiv zu Frauenburg D. 3. fol. 82.

[1]) Der Commentariolus in duas Pauli epistolas erschien in Krakau bei M. Scharffenberg im Februar 1534. Es ist der Römer- und Galaterbrief gemeint.

---

27. Johann van Campen an Dantiscus.

1534, März 10. Krakau.

Er übersendet ein Büchlein mit dem Titel: Precationes aliquot. Cracoviae. Matthias Scharffenbergius opera et impensis propriis. — Precationes aliquot ex variis scripturae locis depromptae. (s. a.)

Reverendissimo Ioanni Dantisco, Episcopo Culmensi, Ioannes Campensis salutem plurimam dicit.

Effecit summa humanitas Reverendissimi Domini Petri Thomicii, ut non potuerim non aliquo modo testari animi mei erga illum gratitudinem, quare Proverbia per me, cum adhuc apud te essem, latinitate paraphrasticos donata illi dicavi. His tua causa preculas quasdam iussu tuo latinas factas adieci; has cum aliis, quae nunc edo, castigatiores acciperes, nisi post sextum tandem mensem exemplaria mihi in media perfectione reddita fuissent, quando neque licuit, neque libuit quicquam mutare. Vale, Praesul modus omnibus ornatissime.

Cracoviae 10. Martii 1534.

Als Vorrede zu den Precationes aliquot (1534) gedruckt.

---

28. Conrad Goclenius an Dantiscus.

1534, Juli 24. Löwen. (Präs. September 23.)

G. berichtet über seine Pfründen, die Heirath Gemma's, die hebräischen Studien des Joh. van Campen ꝛc.

S. Daniel Mauchus Ulmensis, Illrimi D. Georgii ab Austria principis et Episcopi Brixinensis secretarius, mihi tuo nomine et salutem dixit et meas literas a tua Reuma Celsitudine requiri indicavit. Quorum primum ut erat exoptatissimum, ita postremum non mediocri dolore me affecit, cogitantem nimirum, quam minime deceret me huiusmodi cessatio, ut officium meum in scribendo sit requirendum a patrono post homines natos optimo, quique in meipsum tam praeclara edidisset benevolentiae argumenta, ut sine ingratitudinis scelere non possint dissimulari. Rursus cum in animum voco ipsius causae circumstantias, qui mihi conscius sum mentis ad omne obsequium expromptissimae, neque scivi quo scriberem, nec habui per quem scriberem, prope meipse (absolvo) criminis, praesertim apud tam aequum iudicem, qui clementer malit ignoscere quam severiter condemnare clientem posthac suo muneri non defuturum, simul atque intellexerit, et qua et quatenus patroni desiderio possit satisfacere. Proinde etiam atque etiam gaudeo iam tandem inventam esse viam, qua literarum beneficio per tot tantaque locorum intervalla liceat salutare virum integritate optimum, bonarum disciplinarum gloria celeberrimum ac etiam sine antistitis dignitate merito omnibus Reumum, tum etiam privatim sic in me liberalem ac beneficum, ut ex ea messe in omnem reliquam vitam non contemnendum fructum sim percepturus. Quod et ipse recognoscas licet. Siquidem nominatione imperiali ad Praeposituram Hugardensem, quam tuae unius Celsitudini debere confiteor, adeptus sum sacerdotium Canonicum non minoris census in absentia, quod nos homines scholastici magis expetimus, quam sit Canonicatus Antverpiensis. Pro hoc monumento perpetuae in me benevolentiae libenter referrem gratiam, si possim. Immo etiam hoc ipso magis cupio, quo minus licet. Proinde si quid obsequii hic animus tot beneficiis tibi obnoxius possit impendere, id mihi tuo iure imperabis. De rebus publicis nihil audeo ad te scribere. Neque enim dubito, quin tua Reuma Celsitudo haec ab his resciscat, qui non audita narrant, sed qui rebus ipsi intersint et praesint, maxime cum habeas hic D. Brixinensem, ut aequum est, inter optimos tui amantissimum. In rebus privatis illud novi est, Gemmam tuum duxisse hic uxorem lepidissimam, eo corporis habitu, ut facile ter denis Gemmis videatur suffectura, nisi simul esset pudicissima. Ex qua, favente Lucina, non nisi meros uniones et margaritas putatur geniturus. Item Campensem nostrum initio proximi mensis pervenisse Venetias ad Hieronymum Aleandrum, Archieppum Brundusinum, et quendam Iudaeum Eliam, cuius desiderio iam multis annis prope contabuit, tanta siti iam per novem dies extincta. Tanto enim spatio temporis haesit Venetiis, cum significaret, se satis esse assecutum illa, quae ab Elia expectarat et quorum cupiditate tot annos flagrasset iamque ad nos parare reditum. Qui certe nobis erit exoptatissimus. Quod si veterem conditionem requirat, non deerit illi nostra opera. D. Erasmum hactenus frustra expectavimus toties pollicitum Reginae sese esse in procinctu ad nos. Voluntati tamen eius nihil puto obstitisse praeter bellum Wirtembergense, quo principes

et civitates prope omnes erant in armis. Quicquid porro accidat, efficiam ne tua Reuma D. ignoret. Cui me toto pectore commendo.

Lovanii nono Calendas Augusti. Anno 1534.

E. Reumae D. addictissimus Conradus Goclenius.

Original im bisch. Archiv zu Frauenburg D. 3. fol. 49.

Gemma Frisius an Dantiscus.

1534 (?) Juli 26. Löwen. (Präs. September 23).

G. berichtet, weshalb er nicht nach Polen gekommen, daß er geheirathet und Arzt geworden sei.

S. P. et officiorum meorum commendationem. Posteaquam a Vestra D. Reuma recessi, Praesul optime, nihil mihi satius fuit quam amicos, quos praeter parentes mihi tempus edax rerum fecerat reliquos, invisere, qui mihi iam tum septem annis visi non fuerant. Hic ubi nonnihil animum meum praesentia et patrii soli et amicorum dulci consuetudine explevissem, quam primum in Brabantiam redii, primum Antwerpiae, tum demum antiquas sedes revisens Lovanii consedi. Ubi tandem, cum me tanto patrono destitutum frustra lamentarer, coepi egomet varias mecum inire vitae meae instituendae rationes; verum id, quod maxime iam sperabam, id minime, ut in dies fit, pro votis successit. Scilicet iusserat Reuma Dominatio Vestra, uti post reditum meum ex Frisia ad se venirem in Poloniam. Quod quidem cum invitus non facerem, duo evenerunt, quae tum animum meum ultro currentem alioqui retinuerunt. Primum is, cui D. V. Reuma iniunxerat, ut me in Poloniam aut duceret aut mitteret, in Poloniam abiit. Quam nobis adire fas non est, nisi exuta corporis huius gravitate, neque nunc lubet vulnus antiquum refricare D. Vestrae Reumae per nominis charissimi commemorationem. Hoc igitur destitutus praesidio statueram ipse solus capta occasione D. V. Reumam adire, sperans immo confidens, id illi ingratum minime fore. Sed ecce alterum malum me non modo retinuit, verum etiam penitus prostravit in terram; constantissimus enim rumor omnium nostrum animos perculit, Dantiscum illum, illum inquam, quem tota suspiciebat Europa Dantiscum, vitae munere defunctum. Quod cum prima vice pro fabulis haberem, successit secundo rumori tertius late per nostram provinciam sparsus. Tum ego omnibus meis perturbatus rationibus, neque enim animus erat alteri cuique ex aulicis illis me dedere, neque etiam perpetuo Mathematicum agere, cum hae artes, gratae quamvis, nullius tamen sint apud nos momenti, hoc est emolumenti, in servitutem me conieci ex quadam fortassis desperatione et, quod infortunatum ille Terentianus putavit, uxorem duxi, sed talem, quae taedium illud servitutis suis gratis colloquiis et gratissima consuetudine non modo leniat, verum etiam in gaudium vertat. Quod eo feci, ut annum unum atque alterum medicae arti incumberem. Hoc enim institutum iam inde ab annis 8 in animo ceperam, quamvis id saepius me invito interruptum est et disturbatum. Cum igitur hoc modo moestus saepe D. V. Reumae mentionem nusquam facerem, tandem nobis adest ex Saxonia Reumi D. Episcopi Brixensis Secretarius Daniel Mauch, qui subito moerorem hunc meum in maximum convertit gaudium. Impertitus est enim mihi literas a D. V. Reuma illi datas; in quibus ut vidi nominis mei fieri mentionem, duplici ratione exilii prae gaudio, tum quia vidi D. V. Reumam mei necdum oblitam fuisse, tum vero maxime, quod is, quem totus orbis noster defunctum proclamasset, quasi vitae restitutus iam certaminis peracti triumphos ageret. Id quamvis parum ad me spectare videri possit, quod nunc uxori alligatus huiusmodi principis consuetudine penitus non liceat frui, non possum tamen non gaudere serio, quia Dantiscum scio eum esse, qui non modo praesentium sit patronus, verum etiam procul existentium summus et Maecenas et studiorum pater. Novarum rerum nihil adeo boni hic est. Interficiuntur in dies haeretici, quos Lutheranos vocant; bellorum nihil habemus, verum undiquaque metuimus. Goclenius, Rescius, Amicus Seruatius, Grauius omnes satis recte valent et D. V. Reumae commendari optaverunt, quos ut D. V. Reuma cum suo Gemma commen-

datos habere dignetur, etiam atque etiam oramus, felicesque illi et fortunatos successus vitamque cum prospera valetudine longam precamur. Tum demum ego meae inscitiae condonationem peto, nam haec, ut ipsi caracteres literarum facile indicant, ex tempore conscripsi; alio temporo, si D. V. Reumae gratum senserim, et prolixius et melius, si potero, scribam. D. N. Jesus Christus D. V. Reumam diu nobis sospitem servare dignetur.

Lovanii 7. Kalendarum Augusti.

R. D. V. humillimus servitor Gemma Frisius.

Original im Museum Czartoryski in Krakau Ms. 240. fol. 161.

---

30. Johannes Cochläus an Dantiscus.

1534, December 30. Dresden (Präs. März 10).

C. empfiehlt den M. Wolrab, berichtet über sein Verhältniß zu Erasmus, Melanchthon und Luther sowie über seine neuesten Schriften.

Reverendissime in Christo pater, praesul ornatissime! S. Quamquam publice nuper ad Reumam. D. T. scripsi, impulsus metu quodam periculorum, dum me urgeret charitas christiana admonere inclytam nationem Polonorum a malo ex Wittenberga veneni afflatu, revereor tamen nunc privatim ad amplissimam D. T. scribere homuncio ignobilis et contemptibilis. Sed unus ministrorum Reumae D. T. Mathias Wolrab Lipsensis, mihi affinis factus, sic mihi dilectus est, ut eius commendandi gratia pudorem vincat officium. Rogo igitur suppliciter, ut Reuma D. T. gratiose in bonam partem has literas accipiat. Misi quidem et antea literas privatas cum libellis aliquot, a me hoc anno ad Poloniae praelatos editis, sed nondum potui intelligere, an Reuma D. T. acceperit necne. Cum vero frater Mathiae, cui neptem desponsavi meam, promittit certum e nundinis Lipsensem latorem literarum, iterum scribo, sed ero brevis, ne amplissimis negotiis Reumae D. T. molestiam ingeram. Inprimis igitur oro suppliciter et obtestor Reumam D. T. per gratiam et humanitatem suam doctissimis quibusque notam atque perspectam, ut ministrum supradictum affinem meum, mihi tum affinitate tum indole sua carissimum, gratiose commendatum habeat, ita ut sentiat ille, commendationem

meam alicuius fuisse apud Reumam D. T. momenti. Certe non tanti esset apud me affinitas, ut eum tanto Praesuli commendare ausim, nisi arbitrarer, talem esse indolem et genium adolescentis, ut ad gratiam, honorem et utilitatem Reumae D. T. servire possit. Cetera de rebus Germanis adiungam. Cum sciam igitur Reumam D. T. summe amicam et gratiosam esse clarissimo et omnium doctissimo viro Domino Erasmo Roterodamo, significo me hoc die literas ab eo accepisse amicas et laetas, datas ab eo Friburgi 24. Novembris, in quibus sub finem ita scripsit: „Cum chiragra et podagra mihi saepe gravis est colluctatio. Multis diebus in totum abstinui a scribendo. Nunc adnitor, si queam Ecclesiastem meum absolvere, qui mihi serio praestandus est, ioco promissus. Onus increscit sub manu etc.“ Coloniae perdidimus nuper doctissimum virum Arnoldum Vuesaliensem, Canonicum Maioris Ecclesiae, qui reconditissimam habuit in pectore suo theologiam pariter cum philosophia ex Graecis et Hebraicis fontibus. Eobanus Hessus ex Graecis hoc anno carmina quaedam feliciter transtulit Erfordiae. Cum Phil. Melanchthone contentionem suscepi, maxime propter Polonos et Scotos, cui alioqui privatim optime volo. Adversus novum Regis Angliae matrimonium, quod revera adulterium existimo, acriter scribere coepi ad defendendum Reginae coniugium et filiae legitimam procreationem, sed heri ex Moguntia literas accepi, quae nuntiant, Regem Angliae cum Caesarea Maiestate iniisse concordiam et recepisse uxorem veterem, filiamque despondisse Regi Scotiae, adolescenti summae spei, quantum ex literis et ex nuntio meo, qui in Scotia fuit, cognoscere potui. Scripsi per aestatem historiam Hussitarum Bohemiae ex vetustis codicibus, quae in XII libros excrevit. Ferunt Lutherum nunc parturire nescio quae Penthei tonitrua adversus Ecclesiam catholicam, ut a Papa ad sectam suam trahat Ecclesiam et Catholicum orbi terrarum eripiat, ut angulo Wittenbergensi transcribat et ita cogat in angustum haereditatem Christi, ut nemo sit Christi, nisi qui est Lutheri. Ego contentionum iamdiu pertaesus, nihil opto vehementius, quam ut Deus per novum Papam det nobis universale Concilium, quod rebus perturbatis et medelam afferat et cum

pace quietem. Si commode poterit frater Mathiae, affinis meus, iussu meo mittet e Lipsia ad Reumam. D. T. quosdam ex libellis meis hoc anno editis. De Johanne Campensi nihil prorsus audivi ab eo tempore, quo Cracoviae denuo edidit paraphrasim suam in psalmos, non absque laude plurimorum in Slesia, Lusatia aliisque vicinis regni vestri provinciis. Ac sors mea ita fert, ut his temporibus ultra onus laborum ferre cogar et impensarum non leve onus in excudendis exemplaribus. Faxit Deus, ut desinat suspecta et molesta nobis esse Wittenberga. Illustrissimus Princeps Dux Saxoniae Georgius, etsi cum Duce Electore concordiam in temporalibus inivit, in fide tamen Catholica constantissime semper eodem tenore permanet per singularem gratiam Dei, qui per hunc Principem multos homines in fide Ecclesiae retinet. Bene valeat Amplitudo tua, Reume Domine, praesulum eruditorum decus eximium.

Ex Dresda III. Cal. Ianuarias, Anno a Natali Domini M. D. XXXV.

Eiusdem Reumae D. T. deditissimus clientulus Ioannes Cochleus, qui Ratisponae Reumam D. T. vidit et allocutus est.

Original im bisch. Archiv zu Frauenburg D. 3. fol. 114.

---

31. Johann van Campen an Dantiscus.

1535, Februar 4. Venedig. (Präs. April 10. Löbau).

C. beschreibt seine Reise von Krakau über Wien nach Venedig, ferner seine Beziehungen zu Faber, Elias Levita, Aleander, R. Pole, G. Contarini, seine Beschäftigung mit Jesaias und Paulus und berichtet politische Neuigkeiten.

Literae tuae, clementissime Domine, 4. Augusti scriptae Lubauii, optima fide redditae fuerunt hic et exhilaverunt me maxime. Quibus eodem die respondi, sed quia commoditatem mittendi non habui, literae nescio ubi perierunt. Quod ad me attinet, quia ea es humanitate praeditus, ut id quoque scire desideres, paucis accipe. Discedentem Cracovia Reumus D. Cracoviensis equo optimo et honesto viatico donavit. Sperabam me Viennae inventurum Reumum D. Lundensem,[1]) verum ille biduo priusquam eo venirem profectus fuerat per

equos dispositos in Flandriam, quae res me nonnihil male habebat, propterea quod decreveram apud illum mensibus aliquot manere, ne in medio aestu in Italiam venire cogerer. Paucis ergo diebus commoratus Viennae sum rogatu Fabri Episcopi, qui me blandissime excepit et literas ad Aleandrum commendaticias dedit. Tandem ergo illinc profectus sum solus neque ullum inveni itineris comitem, priusquam venissem ad Sanctum Vitum; nihil tamen gratia Dei passus sum incommodi. Perveni autem Venetias postridie Pentecostes in medio maximi aestus, nam dicebant tum hic omnes eam aestatem tam fuisse calidam, ut vix meminerint calidioris. Interim nescio quo pacto cum admiratione omnium patientius aestum toto illo tempore tuli quam Italorum quisquam. Accepit me in aedes suas Aleander et humaniter tractavit, sed hoc unum mihi visum est incivilissimum: non permisit mihi usum ullius omnium librorum suorum. Quae res turbavit omnia consilia mea, nam ultra pretium equi, quem undecim ducatis vendideram, parum mihi pecuniae reliquum fuerat. Conducenda fuit opera Eliae Iudaei[2]) singulis mensibus ducatis duobus, vestes emendae. Aleander enim praeter victum ne obulum quidem unum suppeditavit. Hac ergo ratione factum est, ut apud illum durare diu non potuerim. Inveni hominem esse talem, qualem tu mihi eum saepe descripseras, in quo nihil esset praeter cerebro vacuum caput. Doleo libellum meum infami illius nomine conspurcatum.[3]) Sum nunc apud nobilissimum graece et latine doctissimum Anglum Reginaldum Polum, qui de rege suo idem iudicat quod tu, hoc est unam hanc stultitiam obscurare reliquas universas illius dotes. Hic me tractat humanissime, quare tuam Reumam paternitatem oro, ne pro me sit sollicita amplius. Ambior a plurimis et maximis, sed continebo me adhuc ad menses aliquot hic, donec resecavero crassiores ex prophetis nodos. Legi hic magno studio Esaiam cum Domino meo. Non puto me in vita mea quicquam legisse elegantius, nihil esse diceres facundiam Ciceronis, variationes troporum Homeri; spero futurum ut literae sacrae suam nativam recipiant faciem, quod si fiat, nihil libentius vel maiore cum voluptate homines lecturos puto. Psal-

terium tuum hic avidissime legitur; credo hoc triennio plus tricies editum esse. Curaverat hic edendum, priusquam ego huc venirem, D. Gaspar Contarenus, qui te optime novit; in Hispania enim oratorem agebat apud Imperatorem eodem tempore quo tu. Hic homo doctissimus, in omni doctrinae genere et moribus integerrimus, incredibili me favore prosequitur. Dedi illi gustum aliquem Esaiae in capitibus aliquot, quae res illi animum reddidit spemque fecit certam, futurum, ut prophetae et reliqui veteris testamenti, a nullo unquam post Apostolorum tempora intellecti, tam faciles fiant, ut ne commentariis quidem ullis indigeant. Lovanienses miserunt mihi honorificum studiorum meorum testimonium. Psalterium tuum nescio quis in linguam Flandricam vertit. Miseram commentariolum in duas D. Pauli epistolas hic nonnihil auctum ad D. Grandevelum[4]) hortatu cuiusdam Hispani in aulam Caesaris. Is mihi rescribit humanissimam epistolam, in qua mihi gratias agit pro illo munere immensas, hortaturque vehementer ut pergam in eo studiorum genere. Meminit obiter D. Cornelii Schepperi, quem in Hispaniam tum salvum rediisse scribit, Nicolai quoque nostri, Praesidis Mechliniensis filii, qui secretarius est, Caesaris. — Valde cuperem Philippum respondere, ut res possit tractari latius. Cuperem enim Paulum esse quam notissimum omnibus, quod fieri puto posse hoc tempore commodissime. Res est maxima et qua ad sedandos omnes tumultus nulla posset esse accomodatior. Si quid tua Reuma D. audierit vel Philippum vel aliquem Philippi nomine contra moliri, gratissimum fecerit, si indicaverit. Ego hic tibi coram Deo omnipotente et Iesu Christo Domino et servatore nostro affirmo, nulla me alia causa fuisse ad scribendum in Paulum adductum, quam ut possem, si forte Deo Optimo Maximo visum fuerit, paci et publicae tranquillitati aliqua ex parte consulere. Adhuc mihi videre videor certissimam illam in paulino contextu perpetuitatem plane paulinam libris sacris reliquis sic consonam, ut ne syllabam quidem ullam adduci posse putem quae perf(ecto) . . . illi et divino plane tenori non sit per omnia cons(ona). Si mihi cum Philippo daretur venire in colloquium, (spero)me posse

illi ostendere rem ita se ita habere nec posse aliter. Interim si hic erro, qui annis plus viginti sex mihi eam rem tamquam scopum proposui, in quem alia omnia mea dirigerem, nusquam mihi fidem adhibendam posthac puta. Nescio quomodo haec mihi inter scribendum occurrant, cum tale nihil scribere cogitarim. D. T. Reuma cupit a me literas longas, habeat ergo supra quam cupit longissimas. Pontificem habemus capularem, vix audeo ex aliorum relatu dicere, et delirum senem, qui hoc rerum statu, tanquam nihil incumbat illi praeterea negotii, dat operam iudiciariae Astrologiae et inveniendis familiaribus cacodaemonibus. Fecit Cardinales duos cognatos, alterum sedecim, alterum ut dicunt annorum quindecim; illos ipse vocat suos pavones, quibus desint adhuc caudae, servat ergo sacerdotia omnia opimiora illis in caudarum ornamenta. Nulla est spes de illo maior quam quod brevi moriturus putetur. Alienavit a se paucis his mensibus vere Christianorum omnium principum animos, Imperatoris maxime. Missurus fuerat legatum ad Jannusium in Hungariam, sed Ferdinandus negavit illi transitum. Minatur bellum Duci Urbinati. Non video, qua rectiore via penitus subverti posset totus pontificatus, quam hac. Imperatori omnia sunt secunda, intra paucos menses iterum inventae sunt insulae auri multo feraciores quam ullae antehac inventae aliae. Parat classem ingentem centum triremium et magnarum navium totidem praeter parvas plurimas, in quam impositurus dicitur viginti quinque milia militum. Speratur hoc proximo vere cum coniuge sua venturus in Neapolim, impetravit enim ab Hispanis, ut novem illi annis abesse cum illa liceat. Hoc si evenerit, plurimorum et maximorum erit causa bonorum et inter caetera quoque hoc ego futurum spero, ut te aliquando iterum videam. De Turca, quamvis omnino certissima adhuc ad senatum non sint allata nova, colligitur tamen multis et verisimilibus argumentis illum in proelio a rege Persarum Sophi superatum esse, idque nostrum Imperatorem non ignorare et propterea tantopere urgere, ut parata sint omnia. Genuae iam quadraginta triremes novae instructae sunt. Barbarossa occupavit regnum Tünnis, sed speratur non diu

illud possessurus. In Flandria veteres amici omnes recte valent praeter Petrum Egidium et fratrem illius Canonicum et Cantorem Antwerpiensem, qui anno superiore ambo mortui sunt. Quod Reuma tua Paternitas Brixiolo facit, non aliter gratum est, quam si ex me prognatus esset; cuperem illum eo usque in literis promovere, ut Germanice et Polonice legeret. Mitto D. T. Reumae Theologiam pasquilli Romani, sed non quemadmodum meus ille optimus alioqui Nybschyzius adiunctam literis iisce, sed inclusam, ne tam longinquo itinere pereat, sicut periit charta illius, qua iussus fuerat ad me perscribere quae in regionibus illis nova fierent, quorum valde tum eram et adhuc sum sciendi cupidus. Reumae D. T. molestum non erit meis verbis salutare principes illos viros D. Vaywodam Culmensem, D. Vladislaviensem ac item D. Castellanum Gedanensem, qui me humanissime tractavit in itinere, et alios, quos commemorare longum esset. Spero me brevi scripturum pluria. Valeat T. Reuma D.

Venetiis, 1535 Mensis Februarii 4.

T. D. deditissimus Ioannes Campensis.

Original im bischöfl. Archiv zu Frauenburg D. 3. fol. 102—103.

1) Johannes Wetze von Lund, meist als Diplomat am kaiserlichen Hofe thätig. — 2) Elias Levita (Eliah ben Ascher ha—Levy) 1472 zu Neustadt a. d. Aisch bei Nürnberg geboren, durch seine Grammatik, Logik ɿc. sowie als Lehrer im Hebräischen weit bekannt, starb 1542 in Venedig. Schon am 20. April 1534 hatte J. van Campen bei M. Scharffenberg in Krakau, unter Benutzung der Werke des E. L., eine Schrift veröffentlicht mit dem Titel: De natura litterarum et punctorum hebraicorum aliisque ad exactam grammaticen, Christianis et neotericis Iudacis hucusque incognitam, necessariis ex variis opusculis Eliae Iudaei, grammaticorum omnium facile principis. Sie ist dem Bischof von Krakau P. Tomicki gewidmet. (Vgl. über ihn L. Geiger, das Studium der hebr. Sprache in Deutschland. Breslau 1870. S. 56 ff.) — 3) Dem Commentariolus in duas Divi Pauli Epistolas, sed argumenti eiusdem: alteram ad Romanos, alteram ad Galatas, welcher 1534 bei Matthias Scharffenberg in Krakau erschien, schickte J. van Campen (17. Februar 1534) eine Widmung voraus: Ad Reumum et trium linguarum peritissimum Patrem Hieronymum Aleandrum, Archiepiscopum Brundisinum etc., Summi Pontificis apud Venetos legatum. — 4) Nicolaus P. de Granvella, Staatssecretär Karls V.

---

32. Johannes Cochläus an Dantiscus.

1535, April 16. Dresden. (Präs. 20. Mai.)

C. übersendet seine Schrift über die Wiedertäufer und einige kleinere Schriften, berichtet über den Tod eines französischen Studenten (Anianus) in Leipzig, über den Protestantismus in Frankreich, Polen ɿc.

Reume in Christo Pater, Domine perquam benigne et gratiose. S. Ne viderer Reumae D. T. aut humanitatis tuae Ratisponnae in commitiis exhibitae oblitus, nuncupavi Reumae D. T. libellum unum de XXI articulis Anabaptistarum. Deinde et alias misi literas atque libellos nonnullos, unde intelligeret Reuma D. T. meam ad conplacendum et obsequendum voluntatem. Spero equidem semel a R. D. T. responsum iri. Interea tamen, quoties nuntium habere possum, amore tui percitus scribere non cesso. Quod ut Reuma D. T. gratiose accipiat in bonam partem, et suppliciter oro et humanitate tua fretus confido. Mitto nunc ad R. D. T. libellos parvulos tres; quartus, de matrimonio regis Angliae, maior est, ut non possim hic commode in fasciculum istum redigere. Scribam tamen sororio meo Nicolao Wolrab, qui Lipsiae habitat, fratri Mathiae famuli Reumae D. T. ut, si fieri queat, e Lipsia ad fratrem mittat, qui Reumae D. T. nomine nostro tradat. De Anabaptistis multa nunc est cura, non levis modus. Ingens erit in puniendo severitas, maxime in Germania inferiore. Multiplicantur tamen plus quam velimus. In Francia Rex adversus Lutheranas rigidas fert leges et poenas; sentit enim iam sero, quantum a sectis pacato regno imminere possit periculum. Uno die, hoc est XI Octobris, capti fuisse perhibentur Parisiis 500 homines de Lutherismo suspecti. Inter quos et ditissimi quidam fuere mercatores, multi sunt gladio peremti, multi ignibus exusti. Mortuus fuit Lipsiae adolescens quidam Polonus, homo (ut audio) doctissimus, qui X annis in Italiae Galliaeque academiiis studuerat, tandem vero, cum infeliciter adhaereret Philippo Mel. eumque in Hassiam secutus fuisset, in reditu febre correptus Lipsiae periit. Cumque communicare sub una specia noluisset, denegata sunt ei sepulcra ecclesiastica, corpus itaque Wittenbergam avectum fuit.[1] Nonne vero talis iuvenis potuisset in patria maximam nobilitatis et

opulentorum civium partem Lutherino veneno inficere? Summopere igitur gaudeo vobisque Episcopis et Praelatis immo et omnibus Regnicolis congratulor, propter salutare nuper editum Regis vestri edictum, quo a Wittenberga deterrentur scholares Poloni.[2]) Utinam non sint mera verba (sic in plerisque Germanorum edictis factum est et fit adhuc hodie) sed verba effectiva, quae realem habeant executionem. Ego igitur, nostris in exemplum et exteris ad laudem et gloriam Regis vestri, edictum istud per chalcographos evulgavi, bene sperans, id Polonis ingratum non fore, cum sit adeo honestum et pium magnanimi Regis mandatum. Si Reuma D. T. perlegere dignata fuerit congratulationem ad Paulum III, rogo ut mihi suam dignetur rescribere sententiam de duobus Pontificibus Romanis antiquis, hoc est de Liberio et de Anastasio II. Nescio enim, quosnam super iis potissimum sequar. Bene valeat Reuma D. T. Cui meam parvitatem devote commendo. Deus te servet, ornatissime Praesul.

Ex Dresda Missniae XVI. Cal. Maias, anno Domini M. D. XXXV.

E. R. D. T. perpetuo addictus clientulus Iohannes Cochlaeus.

Retulit ex Urbe novi Pontificis pictam faciem Reumus D. Episcopus Missnensis, quam ad Reumam D. T. mittendam destino, si fieri queat.

Original in der Universitätsbibliothek zu Upsala Cod. Dant. I, fol. 134.

1) Vgl. darüber Hosii epistolae. Cracoviae 1879. I, 36. — 2) Vgl. das Edict vom 4. Februar 1534 bei Friese, Poln. Reformationsgeschichte II. 1. S. 53ff.

---

33. Johannes Cochläus an Dantiscus.

1535, 7. August. Meißen. (Präs. 20. September.)

C. sendet einige seiner Schriften, den Katalog seiner Werke und bittet um Antwort und Unterstützung.

S. Inter omnes Inclyti Regni Poloniae Episcopos una Reuma D. T. de facie mihi nota est. Unde factum est, ut et confidentius et frequentius ad Reumam D. T. quam ad

alios Polonos literas dedi (!). Verum in hanc usque horam nihil prorsus responsi a Reuma D. T. ad manus meas pervenit. Nunc per proprium nuntium iterum scribo, ea spe, ut is Reumam D. T. Cracoviae in regalibus nuptiis inveniat. Misi ad Reumam D. T. plerosque libellos et eum, quem nomini tuo dicavi, non semel, quem et nunc mitto, si forte malignitas fortunae ceteros intercepisset. Gratia, eruditio et humanitas tua Ratisponnae in conventu Imperiali probe mihi perspectae sunt. Quare confido fortiter, Reumam D. T. non denegaturam esse mihi responsum per hunc certum et bonae fidei nuntium meum. Qui et alios quosdam e libellis meis Reumae D. T. afferet. Inter quos unus Juniori Regi vestro nuncupatus est. Quem illi acceptum reddere poterit vel unum Reumae D. T. verbum gratiosum, quo Regiae Celsitudini commendetur, saltem a bona voluntate offerentis. De doctissimo viro Johanne Campensi, qui Reumam D. T. comitabatur Ratisponnae, nihil interim accepi, nisi quod ex editione Psalterii eius secunda intellexi eum in Poloniam profectum fuisse. Mitto nunc Catalogum libellorum, quos intra breve tempus edidi, et quidem sumptu meo cunctos, ut inde intelligas, quam grave mihi fuerit impensarum onus. Adde et rerum Bohemicarum argumentum, ut videas, quam parum sit mihi otii. Reuma D. T. dignetur, obsecro, omnia in meliorem partem, ut est humanitas tua, interpretari. Bene vale, Praesul eximie, studiosorum Patrone semper memorande, Domine clementissime.

Ex Misna civitate VII Idus Augusti anno Dni. M. D. XXXV.

E. Reumae D. T. devotus clientulus Iohannes Cochlaeus, Novitius Canonicus Ecclesiae Misnensis.

Urbs Monasterium, Anabaptistarum Regia, nuper capta est. Deus faxit, ut omnes aliae Germaniae urbes huius clade a tali scelere deterreantur.

Original in Upsala Cod. Dant. I, fol. 135.

---

34. Johannes Cochläus an Dantiscus.

1535, December 30. Meißen. (Präs. 15. März).

C. dankt für die erste ihm von D. gewordene Antwort und 2 Gedichte, berichtet über die Zustände in England ꝛc.

Reume Domine, Princeps eruditione ac liberalitate clarissime. Literas Reumae D. T. VI. Augusti datas X. Septembris accepi easque duplici carmine et utroque elegantissimo adauctas, satis alioqui per sese amplas et prolixas. Recepit interea Reuma D. T. alias a me literas Cracoviae, ubi nuntius meus multis haesit mensibus multo cum dispendio sumptuum et curarum, ingenti mea molestia; quod aequius ferendum esset, si ullo cum fructu factum fuisset. Fuit profecto admodum infortunata et illi et mihi ea profectio, nisi quod gaudeo Reumae D. T. aliisque nonnullis praelatis Regni Inclyti Poloniae illic redditas fuisse literas meas. Ceterum quonam animo nuncupatiunculam meam acceperint Serenissimi Domini Reges, nondum scire potui. Accepi autem interea Reumam. D. T. promotam esse ad Episcopatum Premisliensem, nisi forte fallit me nominis propinquitas. Lubusensis enim Episcopus scripsit mihi, Chulmensem esse factum Premisliensem, Premisliensem autem factum Plocensem, Plocensem vero esse nunc Archiepiscopum Gnesnensem. Quod et antea audivi. Deus omnibus bene vertat. Quantum ad scriptas attinet contentiones, fateor ultro, me omnino saturum esse contentionum, quos aliquot annos cum Germaniae haereticis exercui. Nunc vero novis nos contentionibus provocant Angli. De quibus Reumae D. T. plura constare arbitror, quam mihi. — Est oratio filii prodigi tenui meo iudicio pulcherrima. Ceterum ea de re extat perquam elegans comoedia nova Gnaphaei, quae Acolastus dicitur. — Est et Nurnbergae in Teuthonico quaedam scripta et hic ante menses aliquot acta. — De Cornelio Dupplicio iam diu nihil audivi. Quid Roffensi et Moro sanctissimis pariter et doctissimis viris contigerit, Reumam D. T. latere non puto, cum sit mari longe propinquior quam ego. Nec tutum est omnia chartis commendare. Reuma D. T. bene valeat mihique importunius

obstrepenti clementer ignoscat. Certe quod Ratisbonae rarius accessi ad Reumam D. T. verecundiae fuit non negligentiae, multo minus fastus aut contemptus. Sciebam enim multos ultro accurrere, qui vices non redderent invitando, sumptus vero minime leves esse ubicunque sit Caesar. Erubui itaque saepius venire non vocatus. Veni aliquoties tunc ad Regis Angliae Oratorem, qui nunc Archiepiscopus est Cantuariensis, fax omnis huius incendii malorumque incentor. Vellem me rarius apud illum fuisse, fidem enim eius non satis tum perspexeram. Iterum bene vale et ignosce, Praesul ornatissime.

Ex Misna civitate III. Calend. Ianuarias 1536.

E. Reumae D. T. perpetuo devotus

Ioannes Cochlaeus, Canonicus novicius Misnae.

P. S. Affinem meum commendatione mea cariorem Reumae D. T. factum esse gaudeo gratiasque ago. Quod ut perpetuo fiat, Deum precor.

Original im Museum Czartoryski zu Krakau Ms. 247. fol. 263.

---

35. Johannes Lohmoller[1]) an Dantiscus.

1536, April 28. Königsberg.

L. giebt Aufschluß über sein Verhältniß zu Livland, Riga, der lutherischen Partei ꝛc.

Reverende in Christo pater, domine multis mihi nominibus colendissime. Literas R. D. XVIII Martii datas, una cum reliquis scriptis informationem causae meae continentibus, summa qua decuit reverentia XX Aprilis Montis regii recepi. Ex quibus quidem literis animum R. D. V. nedum pontificali excellentia dignum, verum et antiquae meae consuetudinis consentaneum, hoc est sincerum et constantem comperi, praesertim ex eo quod R. D. V. ex animo gratulatur me ab illa gente ingrata, stupida et plus quam scythica ferocitate praedita liberatum esse. Quae in hoc mihi praesertim distare ab immanibus Tartaris videtur, quod lingua loquatur germanica, scilicet vestualica, ideoque suis aptissimis coloribus a R. D. V. depicta. Quod equidem olim apud R. D. V. traductus

videor, me partium esse Lutheri, hoc a R. D. V. sic accipi velim, quod si unquam a Lutheranis steterim, id ea a parte a me factum esse, quà de religione christiana, de iusta obedientia et reverentia erga magistratus deque conservanda pace recte vel scripserint vel egerint. Pacis vero turbandae autores summo semper odio prosecutus sum adeo ut ii, qui ea de causa suspecti habebantur, etiam si sese vel decies Lutheranos sive evangelicos esse iactaverint, meis maxime instantiis et conatibus, quam procul a Republica Rigensi coarciti relegatique sint, saepe etiam non sine capitis mei periculo, quod praesertim legatio illa Rigensis manifeste testari videtur, tantum abest, ut publici vel privati dissidii autor ipse unquam fuerim, qui hoc persecutionis genus vel exilii et quidquid periculi apud eam gentem unquam sustinuerim non aliam ob causam patior, quam ob amorem pertinaxque studium conservandae tranquillitatis et quod publicas discordias ac bella semper detestatus fuerim. Testificabuntur id praeter meam conscientiam quotquot in Livonia pii rectique iudicii habentur, testificabitur et apologia mea palam omnibus, pro defensione meae innocentiae propediem, ut vereor, excudenda et evulganda. Quamobrem consilium R. D. V. de non redeundo in Livoniam merito mihi videtur consultissimum, quando id omnes quoque probi doctique et qui mihi ex animo bene cupiunt detestari videntur, stultum esse autumantes ad eundem lapidem bis impingere Neptunumque post secundum naufragium accusare. Desuadent etiam profectionem meam in Suetiam, ne vitando Charibdim in Scyllam videar incidere. Subinde fateor imprimis pium esse benefacere seu inservire patriae, cui divinus ille Plato, optimus constitutor Reipublicae, primas beneficentiae partes iure humanae societatis tribuit, quare non possum consilium R. D. V. utpote ex iudicio recto animoque sincero profectum, non summopere commendare. Quod tamen divina providentia, per quam sumus, movemur et subsistimus, quamque praeter ne pilus quidem de capite nostro possit decidere, antevortit, meque servitio Illustrissimi Principis, ducis Borussiae, idque a consiliis, astrinxit, Principis inquam omnibus calculis pro-

batissimi nominisque R. D. V. nec non Dantiscanae urbis, patriae scilicet nostrae, amantissimi. Denique habeo R. D. V. pro suo erga me gratioso affectu et quod me apud Rhodium nostrum commendaverit, gratias immensas, meis indefessis servitiis erga eandem R. D. V. cui me enixissime commendo, semper retaliandum.

Datae in Monte regio XXVIII Aprilis Anno D. MDXXXVI.

Eiusdem R. D. V. nuncupatissimus Ioannes Lohmoller.

Original im bisch. Archiv zu Frauenburg D. 4. fol. 77.

1) Ueber J. Lohmoller, den Reformator von Riga († 1550) vgl. Taubenheim, Aus dem Leben J. Lohmüllers, Riga 1530; Hipler, die Portraits des N. Kopernikus, Leipzig 1875, S. 81.

---

36. Johannes Cochläus an Dantiscus.

1536, Mai 8. Meißen.

C. sendet einige seiner Editionen, empfiehlt die Postille Wicels und seine literarischen Unternehmungen.

S. Reverendissime in Christo pater, Domine clementissime ab benignissime, studiosorum patrone ac Maecenas. Literas Reumae D. T. datas VI Augusti anno superiore, hic recepi X Septembris, dum Cracoviae in nuptiis esset Reuma D. T. Longum profecto foret, tam gravi ac eleganti epistolae doctisque praeterea carminibus respondere. Neque mihi nunc tantum vel otii vel temporis datur propter abitionem nepotis mei, quem cras multis cum epistolis in longinquas terras missurus sum, et si daretur, nunquam tamen digne respondere possem. Accipiat igitur obsecro Reuma D. T. breve responsum ex tempore. Quod Ratisbonae non crebrius visitavi Reumam D. T. verecundiae precor ascribe, non alteri causae. Nam et illa vice qua non vocatus ad prandium opipare paratum veni, nominis tui fama illectus, gravi cum rubore accessi. Quantum ad affectus pertinet, sapienter sane monet Reuma D. T. sed rerum indignitas periculumque tot animarum

plerumque acriorem nobis excitant zelum, quem et nunc exasperat turbida horrendaque Regis Angliae defectio. Quod Reuma D. T. multis vexata fuit adversitatibus, et miratus sum et condolui. Quis enim Polonorum sic versatus est tot annis in longinquis legationibus iisque arduissimis? Quis tot callet linguas? quis bonarum literarum peritior? quis Regis ac Regni studiosior? Sed ita visum fuit superis, ut virtus tua per ignem tribulationis probata clarius enitescat. De filio prodigo vidi praeter Evangelicum carmen tuum duas comoedias, unam teuthonice a quodam Nurenbergensi conscriptam, alteram latine compositam, qua nihil vidi hac aetate in Poesi elegantius elucubratum. Si Reuma D. T. non habeat, libentissime mittam. Nunc mitto opuscula duo latina (si modo frater Mathiae Wolrab famuli tui mittere e Lipsia nunc poterit) a me, non tamen mea, edita, et aliquot Conciones Georgii Wicelii, qui propediem grande opus Postillae editurus est per fratrem Mathiae, si modo poterimus undecunque corradere atque commendicare a quibusdam praelatis tantum pecuniae, quae ad tantum impensarum onus sufficere queant. Addo literas ad Reumum Dominum quondam Premisliensem, nunc Plocensem, ut audio. Dignetur obsecro Reuma D. T. efficere gratiose, ut literae ad illum tuto perveniant. Certe vos duo praecipue poteritis hos nostros conatus, absque damno vestro, iuvare ac permovere bonis verbis apud Generosissimos Reges vestros. Nolim tamen importune propter me quicquam fieri aut attentari. De clarissimo viro Dupplicio Scheppero, ut iuncundissima mihi fuerunt ac sunt carmina Reumae D. T., ita nihil certi de eo rescribere possum. Bene valeat Reuma D. T. Cui me suppliciter commendo rogans, ut apud Mathiam affinem meum habeat me pro hac vice excusatum, quia scribere ei non possum.

Ex Misna VIII Idus Maii MDXXXVI.

Eiusdem Reumae D. V. T. perpetuo devotus
Ioannnes Cochlaeus.

Tabellio meus e Cracovia ad me rediit X Decembris, nihil prorsus afferens praeter IV Epistolas per tot menses.

Si Reuma D. T. nondum vidit (quod non puto) epistolas Pauli Papae III contra regem Angliae ad Reges Romanos et Franciae, libenter mittam exemplum utriusque, immo unius nunc mitto, si tamen legi queat.[1])

Original im bisch. Archiv zu Frauenburg D. 3. fol. 120.

[1]) Das bezügliche Breve des Papstes vom 22. Juli 1535 an den römischen König gerichtet liegt in einer Abschrift bei, von der Cochläus am Rande bemerkt: Puer indoctus festinanter scripsit, cum mihi ad scribendum non superesset tempus, ignoscat obsecro R. D. T.

---

37. Johannes Magni Store, Erzbischof von Upsala, an Dantiscus.

1536, Mai 10. Danzig.

Er bittet um Beiträge zu seinen Geschichtsstudien und sendet eine Elegie auf den Tod des Bischofs Tomicki.

Reume in Christo Pater et Domine, amice et frater carissime et honorandissime! Literas D. V. Reumae ex Castro Altenhaus XXIII Aprilis datas paulo ante hic gratissimas accepi, quibus etsi humanissime respondet de Gothicis historiis Alberti Cranczii, tamen illam excusationem, quam pro sua ingenua modestia adducit, ne quid annotationum eisdem historiis adiungat, non tam facile admitto. Ego enim dudum didici similia a similibus amicis importunitate impetrare, quae merito et probitate assequi nequivissem. Proinde patiatur oro D. V. R. se meis improbis precibus superari, ut nonnihil circa eam Gothicae historiae partem emendet, in qua videtur Iodocus Decius post Mathiam Miechovitam a Crancio dissentire. Hic enim, meo iudicio, maiore veterum autoritate subnixus, apertius tradit Gothorum originem consummatamque historiam de eis praestitisset, nisi plus in Danicis historiis quam Gothicis versatus fuisset. Utcunque haec se habeant, rogo non aegre ferat D. V. R. se a me importunius moneri; facit enim vestra humanissima fraternitas, ut secum non secus ac mecum familiarissime agam, provocatus iucundissimis carminibus eius, quae in eisdem literis suis mihi et musis cecinit, imo et

Reumis coepiscopis meis, quibus ea non sine magna consolatione et congratulatione legi. Remitterem ego fortassis aliquod iucundum carmen. Sed flebilis, ut noster status est, ita flebile carmen. In nostro invenies carmine dulce nihil. Cecini in praeterita hieme Elegiam ob mortem optimi et nunquam satis laudati viri Petri Thomicii, Pontificis Cracoviensis, coactus eius maximis erga me beneficiis, quorum memoriam colere non desinam gratitudine et benevolentia sempiterna. Eos igitur minus elegantes Elegos ad D. V. R. remitto non ob aliam causam, nisi ut videat, me etiam balbuciendo memorem esse voluisse tam optimi benefactoris, simulque ut eadem D. V. R. non dedignetur, post Cricium et Gothum Archiepiscopos, in laudem defuncti amici doctissima sua carmina adiicere mihique remittere, ut ex eis geminam consolationem accipiens geminos atque eosdem amicissimos Pontifices Thomicium et Dantiscum mecum (dum spiritus hos regat artus) conservem. Vix credibile est, quot lachrimis prosecutus sum funus optimi Thomicii, nec erit modus ullus earum, donec consurgat similis virtutis amicus. Dixit Tullius se diutius flevisse casum Reipublicae quam aliqua mater mortem sui unigeniti, quod nimirum ego dicere possum de me ob mei Tomicii mortem, cuius maxima humanitas id mihi semper praestitit, quod Thomices colles iuga offerentibus praestare consueverunt, nempe ut levius omnia adversa sufferrem. Reliquum est ut me commendem V. R. D. cui etiam Reumi domini coepiscopi et coexules mei salutem et aeternam felicitatem optant, imprimis Episcopus Lincopensis, deinde Magnus Episcopus Scarensis, qui in praeterita quadragesima ad me ereptus ex infinitis haereticorum persecutionibus et omnibus fortunis spoliatus pervenit; huic in aedes et expensas meas collecto de omnibus necessariis (quamquam mihi uni aegre sufficio) providere compellor.

Ex Gedano, a. D. 1536. X. Maji.

Eiusdem D. V. deditissimus frater et amicus Ioannes,
Archiepiscopus Upsalensis.

Praeterea, Reume Dne, magnum et memorabile beneficium fecerit mihi D. V. R., si dignata fuerit ad primam occasionem monere suum amicissimum Cornelium Scepperum per iocundiorem Musarum genium et iocundissimam praeteritae amicitiae memoriam, ut si quandoque acciderit aliqua negotio Iohannis Gothi Archiepiscopi Upsalensis ad Curiam Caesareae Maiestatis aut Illustrissimae Reginae Mariae devolvi, tunc ea per se et suos amicos sic tractari faciat, ut intelligat Gothus Belgicum hominem Sarmatae preces non vulgariter aestimasse. Futurum est enim, ut magnitudo negotiorum christianae religionis me et Reumos coepiscopos meos ad Caesaream Maiestatem compellat. Felicissime valeat eadem D. V. R.

Idem Iohannes, qui supra scripsit.

Original im Archive des erml. Domkapitels zu Frauenburg. Ab. 5. fol. 60.

---

38. **Johann van Campen an Dantiscus.**

1536, Mai 15. Rom. (Präs. August 8.)

C. berichtet über seinen Aufenthalt bei Aleander, Giberti, Contarini, das bevorstehende Concil ꝛc.

Scripseram anno superiore e Venetiis diligenter de statu qui tunc erat rerum mearum per quendam Iudaeum Cracoviae degentem. Verum quantum ex nostro Nybelschytz, quem Bononiae sanum inveni, intellexi, literae illae Reumae D. V. redditae non sunt, quae res me pessime habet, propterea quod metuam ne R. D. T. putet me beneficiorum acceptorum immemorem factum, quod priusquam fiat, mori me malim. Aleandrum plane talem inveni, qualem mihi eum saepe descripseras; est nunc Romae, ubi primum locum ambit in futuro concilio, sed ridetur ab optimis quibusque. Fui apud eum mensibus quinque tanto taedio, quanto nusquam unquam. Ab eo discessurum ambivit nobilissimus, doctissimus et probissimus Anglus D. Reginaldus Polus, apud quem toto fere anno fui humanissime exceptus. Ab illo cum discedere constituissem et me in patriam studiose revocatum recipere, rescivit de discessu meo Episcopus Veronensis[1]) oravitque per literas obnixe, ut paululum a recto in patriam itinere ad se deflecte-

rem; quod cum fecissem, tam me excepit humaniter et exceptum tractavit, ut tota fere hieme apud illum manserim eique et aliis aliquot quos secum habet doctis viris prophetas omnes praelegerim, mutatis locis, ubi nostra editio ab Hebraeo variat, et adscriptis annotatiunculis quibusdam in margine ad explicanda obscuriora prophetarum loca, totum praeterea Paulum, Iob et quinque libros Mosi. Omnia haec, quamvis incredibile R. T. D. videatur, plus minus quinque mensibus absolvimus. Cum iam morem illi gessissem et sciret me properare in patriam nec ulla ratione retineri posse iamque ego ad iter accinctus essem, de improviso a Cardinali quodam viro optimo et doctissimo mihique Venetiis, priusquam Cardinalis esset, familiarissime noto,[2]) ab hoc inquam de improviso Romam vocor, suggerente ut suspicor Pontifice. Quamquam nunquam animum habui ad Romam propensum, tamen diu haesitans tandem huc veni sub finem Februarii huius anni. Invenit me hic D. Doctor Longus, qui sollicite egit, ut per illum D. T. Reumae scriberem, quod et fecissem, nisi intempestive falso me gaudio affecisset olim tuus Hugo Bruxellensis, qui affirmabat D. T. pervenisse Neapolim in aulam Imperatoris venturamque huc una cum Imperatore. Decretum est hic ad preces Imperatoris per Pontificem et Cardinales consistorialiter, ut liberum, quale Germani volunt, Concilium indicatur circa Pentecosten anni futuri Mantuae aut Mediolani, non enim certe scio, utro horum locorum. Res concilii commissae sunt sex Cardinalibus, ex quibus D. meus unus est. Imperator tam se hic modeste cum omnibus suis gessit, ut omnes in admirationem sui rapuerit. Habuit orationem publice coram Pontifice, Cardinalibus, oratoribus et plurimis aliis, qua declaravit, sibi plurimum displicere perfidiam regis Gallorum, qua impediretur ab expeditione in Turcas impedireturque progressus Concilii celebrandi. Inter caetera hoc maxime Maiestatem illius male habet, quod rex publice editis in Gallia literis ad principes Germaniae Imperatorem dicat ambire Monarchiam, cum non solum nihil vel illius vel cuiusquam alterius Christiani principis ambierit, sed etiam ducatum Mediolanensem contentus sit filio illius minimo natu dare,

ut effusio Christiani sanguinis vitetur. Obtulit praeterea, si de privato agatur odio, se singulari certamine congressurum cum illo vel nudum vel quocunque modo paribus armis induto. Missus fuit a Rege Galliae Cardinalis Lothringiae ad Imperatorem et deinde ad Pontificem huc Romam causa huius conceptae pacis tractandae. Is hinc abiit et iterum e Gallia rediisse Luccam ad Imperatorem dicitur. Pontifex semel decreverat proficisci Bononiam, paulo post mutatum fuit consilium, nunc iterum dicitur profecturus; quid futurum sit, nescimus. Dicuntur hic multa, sed incertis autoribus; si quid nactus fuero certi, scribam D. T. Reumae, quam diutissime felicem vivere cupio. Valeat D. T. R.

Romae 15. Maii 1536.

D. T. deditissimus Ioannes Campensis.

Petrum nostrum mirabilem rectissime valentem hic conveni. — Non scribo nunc D. Bernhardo nec aliis amicis, scribam autem brevi, spero. Iterum valeat R. D. V. cum D. matre, fratribus, sororibus et amicis omnibus. — Si D. T. Reumae libebit rescribere, inveniar in familia Gasparis Contareni Cardinalis Veneti, quem et Flandria et Hispania D. Tua Reuma novit.

Original im bisch. Archiv zu Frauenburg D. 3. fol. 118—119.

1) J. M. Giberti († 1543). 2) G. Contarini.

---

39. **Johannes Cochläus an Dantiscus.**

1536, September 29. Meißen. (Präs. November 25. Thorn.)

C. widerräth die Verlegung des Cuppener'schen Stipendiums von Leipzig nach Preußen, empfiehlt die verbannten schwedischen Bischöfe.

Reverendissime Domine Princeps et Praesul ornatissime! S. Die XVI. huius mensis Septembris recepi literas R. D. T. cum debita reverentia et singulari animi iucunditate. Ne vero R. D. T. longe altioribus negotiis occupatae, quam ut otiosa verba perlegat, prolixo responso sim molestus aut importunus, brevissime quantum res exigit respondebo. Transmisit sane

R. D. T. exemplum literarum Illmi Principis Ducis Saxoniae Georgii Domini et Patroni mei clementissimi. Quod ego Dresdam misi, pro ulteriori sollicitans, iuxta petitionem R. D. T., responso illius. Hesterno igitur die iussu Principis fui Dresdae, ubi Cancellarius eius dedit mihi hanc duarum epistolarum copiam, ut vocant. Ex quarum tenore intelliget R. D. T. non stare per ipsum Principem, quominus voto et R. D. T. et populi Lubaviensis satisfiat. Stat autem tum per Universitatem tum per senatum Lipsensem, qui et mihi (pace vestra dictum sit) aequas videntur adducere rationes. Quamvis enim de fide, pietate constantiaque R. D. T. nihil dubitem, tamen de successore tuo, qualis futurus sit, quis non dubitare queat? Arbitror autem te brevi successorem ibi habiturum non sane per obitum (quod minime gentium velim) sed per ulteriorem R. D. T. promotionem. Video enim haec piissimo ac invictissimo Regi vestro solenne atque consuetum, ut benemeritos Episcopos semper ad meliores praelaturas evehat. Quid igitur, si successor aut senatus Lubaviensis scholares non Lipsiam, sed alio mitteret, si domi haberet pecunias? An ignoramus, quam multi in Prussia non bene faveant nunc fidei catholicae? Ignoramus quidem certum numerum, sed vereor nimium esse multos tum in publico tum in privato, in manifesto et in occulto. Nolim igitur per R. D. T. dari vel occasionem vel facultatem, quae studio Lipsensi detrimentum pareret aut testamento Cuppeneriano laqueum fraudemve pararet. Quantum attinet ad scholarem Lubaviensem, quem scribit R. D. T. XII annos natum, libentissime profecto pietati tuae inservirem, si possem. Verum cum Lipsiae non habitem, sed Misnae, quae a Lipsia X miliaribus distat, neque unquam Lipsiae studuerim neque collega fuerim, non possum hic ea praestare quae petit a me R. D. T. Scripsi autem patri affinis mei Matthiae, qui R. D. T. famulatur, ut is det operam, si forte puer ille advenerit, ut assit ei et consilio et auxilio propter R. D. T. Scripsi et fratri famuli mei Bibliopolae, ut mittat ad R. D. T. novos libros, si qui ex Francfordiensi mercatu advenerint. Ego adhuc nihil eorum vidi neque adhuc literas ab illo, posteaquam e Francfordia iam

reversus est, accepi. Id quod aegre fero; sperabam enim inde certiora allatum iri cum de bello Caesaris et Galli tum de obitu singularis ac perpetui Germaniae ornamenti Erasmi Roterdami, ut ea Reumae D. T. ac Reumo D. Plocensi significarem. Quantum autem accepi, tantum mitto. Et praeterea ternas uno die literas eadem de re nuper ex Ingolstadio, ex Eystet et ex Turingia acceperam, prius ut anxie verear, rem non esse omnino vanam. Quamvis in die Ascensionis hoc anno binas ad me Basilea literas ipse dederit Erasmus. Scripsi Frobenio, ut rem certius mihi significaret e Francfordia, sed nullas adhuc literas inde recepi. — Exulant apud vos Gedani inclyti Praesules Archiepiscopus Upsalensis, Episcopus Lincopensis et Episcopus Scarensis, viri procul dubio et honore et favore atque amore dignissimi, quorum exilio diuturno non leniter condoleo. Quod certe re ipsa potius quam verbis declaraturus essem, si eae mihi suppeterent facultates, quae me liberaliter charitatis et debitae erga tales tantosque viros reverentiae ac pietatis officia exercere permitterent. Scio quidem Reumum Dnm. Gnesnensem Mathiam inclytae memoriae U(psalensi) Archiepiscopo nonnihil subministrasse, dum viveret. Quod et successorem eius D. C(ricium) pro sua humanitate ac eruditione facere arbitror. De aliis autem duobus nihil (scio), unde vivant, nisi quod scio verum esse oraculum illud: Non derelinquis sustinent(es te) Domine. Item: Non vidi iustum derelictum etc. Accepi ergo nuper literas a Lincopensi, (homine) procul dubio gravi et erudito, quem et senio confectum suspior, cui nunc respondeo. Sed non scio alium, per quem ad eum mittere possim responsum quam per R. D. T. Obsecro (ergo) ut R. D. T. non gravetur Gedanum remittere ad eum literas. Quam optime valere precor et opto.

Ex Misna 29. Septembris 1536.

Eiusdem R. D. T. devotus

Clientulus Ioannes Cochlaeus Canonicus Misnensis.

Original (am Rande zum Theil abgerissen) im Museum des Fürsten Czartoryski zu Krakau Ms. 247. fol. 275.

40. Jacob von Barthen an Dantiscus.

1536, October 29. Danzig. (Präs. 1. November.)

Er übersendet die letzte Schrift des Erasmus und meldet dessen Tod.

Reume in Christo Princeps, domine clementissime! Mitto Tuae Celsitudini in praesentiarum promissum Ecclesiasten Erasmi Roterodami, suppliciter rogans, ut Tua Cels. hoc munusculum pauperis clientis sui benigno animo suscipere dignetur, non tam pecuniola, quae pro eo exposita est, id aestimans, quam ex animo meo, qui profecto Tuae Cels. addictissimus est eritque semper, „dum memor ipse mei, dum spiritus hos regat artus.“ Sed spero etiam alio nomine hunc librum Tuae Cels. commendatum iri, posteaquam tandem, proh dolor! verum esse coeperit, quod antea saepenumero falso rumore de morte autoris eius percrebuit. Tametsi enim non dubitem, quin Tua Cels. magnum hunc Erasmum semper magni fecerit, tamen cum sic natura comparatum sit, ut virtutem sublatam magis quam praesentem admiremur, omnino credo, Tuam Cels. hominem incomparabilem iam mortuum in maiore pretio habiturum, quam antea vivum. Idque praesertim in hoc opere, quod fere postremum est, quod nobis e divino pectoris sui thesauro depromptum benigne impertivit. Unde puto in eo non solum cygneam cantionem, quod oratoribus atque poetis circa senectam fere peculiare est, resonare, sed etiam diviniora, pro suscepti argumenti ratione, nobis in eo tradi, quam in superioribus huius rari organi Dei voluminibus. Si quidem quo propius pii Doctores morti accedunt, morti autem, imo traiectui ex his mundi saevis periculis in perpetuae tranquillitatis portum, eo magis Deus in eis agit, suaque coelestia oracula per ipsos uberius nobis effundit. Sed quid ego homuncio haec apud Tuam Cels.? plane id, quod aiunt, noctuas Athenas. Verum Tua Cels. id clementer condonare dignabitur singulari meae fiduciae, quam de istius inclyta humanitate animo concepi. Nam nisi mihi ea cum ex aliorum sermone, tum ex Tuae Cels. clementi colloquio cognita perspectaque esset, nescio an auderem huiusmodi exigua munuscula ad istam mittere, nedum inanium ver-

borum turba eidem obstrepere. Porro cum Ioannes bibliopola alios libros ex Lypsia acceperit, seligam inde optimos quosque, qui Tua Cels. non indigni videbuntur, eosque Matthaeo Platten Tuae Cels. transmittendos dabo. Nam si Tuae Celsitudini in re longe maiori obsequi aut inservire potero, facturus sum id quam promptissimo animo, quatenus id tenuitas mea patietur.

Ex Dantisco III. Cal. Novembris, Anno 1536.

Tuae Celsitudini obsequentissimus cliens Iacobus à Barthen.

Original im bisch. Archiv zu Frauenburg D. 6. fol. 2.

---

41. Jacob von Barthen an Dantiscus.

1536, November 21. Danzig. (Präs. November 25.)

Er übersendet Bücher und berichtet Näheres über Erasmus' Tod.

Redditae sunt mihi literae a Tua Celsitudine, quas tum debita tum prompta reverentia recepi summaque cum voluptate legi atque relegi. Declararunt enim Tuam Cels. exiguum munus, quod ad istam misi, sic clementer excepisse, ut, cum ista illud propter magnum eius autorem magni fecerit, meam humilem personam etiam maiori benevolentia complecti dignata sit, idque adeo, ut se Tua Cels. pro inclyta sua clementia atque humanitate eo dimiserit, ut iubeat mihi de se persuadere, quae non a vulgari amico expectare soleam. Qua re profecto mihi vix quidquam gratius aut optatius contingere potuisset. Nam tametsi mihi Tua Cels. antea etiam visa sit me suo clementi favore prosequi, tamen id mihi modo longe liquidius factum est per has clementissimas literas Tuae Cels., sic ut quod opinabar iam sine omni dubio de Tuae Cels. clementi erga me atque paterno animo, certam persuasionem induerim. Habeo itaque et ago Tuae Cels. magnam gratiam eo nomine, quod humilem clientem tanta benevolentia complecti dignata sit, quae vulgares amores excedat. Polliceorque quod erga summum patronum et dominum meum clementissimum sic me sedulo in omnibus

obsequiis pro virili comparare velim, quemadmodum fidum, impigrum atque officiosum clientem decebit. Quod igitur Tua Cels. mihi clementer iniungere dignata est, ut apud bibliopolam nostrum inquirerem, quid novorum librorum advectum esset, id animo promptissimo et suscepi et expedivi. Verum praeter unum atque alterum autorem nihil inveni quod Tua Cels. dignum fuisset. Nam cum hoc nostrum saeculum libris edendis perquam foecundum sit, ut mundus tantum non librorum copia repleatur, tamen inter eos, prout in aliis rebus plerumque contingit, multi mali, pauci boni inveniuntur. Duae tomi operum Origenis prodierunt ex officina Frobeniana, quibus perpoliendis Erasmus ille desideratissimus, ut Tua Cels. eum merito appellat, immortuus est. Nimirum cum articulari morbo sic confectus esset, ut nobis ex suo divino pectoris thesauro nihil fere amplius depromere posset, convertit se homo, ad bene merendum de praeclaris studiis natus, ad opus alienum restaurandum, quod temporum iniuria paene abolitum erat, ut si non per se, saltem per alios nobis prodesset. Cumque fere, confecto iam labore, praefatio sibi in tantum autorem contexenda esset, evocatur tandem veteranus atque strenuus miles ex sua statione ab aeterno nostro Duce, ut qui non minus bonam quam longam militiam in fide exercuisset iam tandem quietem praemiumque aeternum pro meritis suis reciperet. Beatus Rhenanus igitur praefationem Origeni adiecit, in qua post commendationem autoris et vitam et mortem Erasmi nostri breviter perstrinxit, ostendens eum non minus pie decessisse atque vixisse, ut qui morte ingruente has pias voces ad Deum crebro emiserit: „Bone Deus, misericordia! Liever Godt!“ similibusque his vitam finierit. Est autem mortuus XIII Iulii circa intempestam noctem, sicut accepi ex Ebrehardo Roggio, qui octiduo ante apud eum fuit. Chrysostomus etiam editus est in epistolas beati Pauli, versus in latinum sermonem per Obsopoeum quendam. Sed Erasmus in postremis suis annotationibus in Novum Testamentum putat hos commentarios non esse germanos Chrysostomi. Sicut namque hunc clarissimum Doctorem πολυλαλίᾳ vincant, ita eos eius argutiam non assequi. Si tamen forte

hos ipsos et Originem Erasmicum suae bibliothecae adiicere voluerit Tua Cels., rescribat id mihi. Ioannes bibliopola paratus est Tuae Cels. ex Lypsia pro aequo pretio apportare et horum autorum exemplaria et quodcunque praeterea ista voluerit. Porro inter alios libros, quos praeter hos bibliopola habuit, placuit mihi Conciliatio haec sanctorum Patrum cum sacra Scriptura, quam Tuae Cels. his transmitto. Etenim cum Tua Cels. et alios libros ab eo antea acceperit, poterit et hoc opusculum ab eo retinere aut reddere, quando illi ratione subducta pretium numeraverit. Mitto iuxta Tuae Cels. fasciculum quendam librorum, qui huc ex Lypsia Tuae Cels. allatus est, suppliciter rogans, ut Tua Cels. haec mea humilia officia benigno paternoque animo suscipere dignetur mihique pro summo suo erga hunc humilem clientem iure et in posterum semper demandare, si quid oblatum fuerit, in quo meis promptis obsequiis Tuae Cels. inservire potero.

Dantisci XI Cal. Decembris Anno 1536.

Tuae Celsitudini addictissimus atque obsequentissimus cliens
Iacobus à Barthen.

Original im bisch. Archiv zu Frauenburg D. 6. fol. 3—4.

---

42. **Johann van Campen an Dantiscus.**

1537, April 6. Rom. (Präs. 17. Juli).

Er berichtet über seinen Aufenthalt bei Contarini, seine biblischen Studien &c.

Literas manu Reumae D. V. 24. Decembris scriptas Romae accepi 19. Martii, quibus mihi toto hoc anno quo Romae sum nihil contigit gratius. Affirmare enim ausim nullum filium ardentius amare posse patrem suum quam amem, ut aequum est, D. V. R. Nunquam enim oblivisci beneficiorum in me collatorum in Brabantia, Germania et isthic in Sarmatia potero. Vix credat D. V. R., quam gaudeam, quoties hic vel in mensa Domini mei Cardinalis vel aliis locis occasio datur honorifice de V. D. R. loquendi. Desinat quaeso D. V. R. sese excusare, quod non satis aut pro eruditione aut

dignitate (sic enim scribit D. V. R.) ob tenuitatem fortunae exceptus sim; sciam ego me supra quam fortuna tum patiebatur liberaliter a D. V. R. fuisse tractatum. Haec ergo utrimque missa faciamus. Curavit Reumus Dominus meus Contarenus cum multis quemadmodum rescivi aliis apud Pontificem inscio penitus me, ut mihi pensio annua assignetur centum ducatorum super praepositura Herbipolensi, quam habiturus est D. Mauritius ab Hutten. Ego exitum rei expecto nudiustertius, res commissa est duobus Cardinalibus; sive eveniat sive non, parum sum sollicitus. Brevi me constitui recipere in Germaniam, satur enim sum Italiae ob veteris inscitiae nimis multos patronos. Utinam contingat D. V. R. in Italiam causa Concilii, quod Pontifex valde urget, venire, mihique detur iterum sua praesentia frui. Sperarem si id eveniret aliquid magni boni secuturum. Philippus valde attactus videtur commentariolo meo in duas epistolas D. Pauli, dignatus est tamen in libro ad Regem Angliae honorifice illius et mei facere mentionem. Nihil dubitarem, si daretur cum illo colloqui amice, quin errorem suum agnosceret. Deus optimus maximus dignetur causae suae favere et afflictissimae Germaniae sucurrere. Videbit spero D. V. R. Paulum sese ab iniuriis vindicantem egregie et velamen illud a facie Mosi et prophetarum iterum auferentem. Quamquam enim per Christum ablatum fuit semel, tamen ita per Deo et omnibus hominibus invisos sophistas sic repositum fuit, ut propemodum videri potuerit per Christum nunquam ablatum fuisse, qua re permoti Lutherani alia via in alterum extremum praeterito penitus medio profecti sunt, quare scopus in medio relictus utrique parti cum gratia monstrabitur a Paulo ipso. Lovanienses hortati sunt me diligenter, ut libellum augeam, quod et faciam. Spero adiuvante Deo brevi et in reliquas omnes D. Pauli epistolas commentarium adiungam, in prophetas quoque annotatiunculas quasdam adiiciam fortassis. Videbis nihil esse Homerum Virgiliumve, si cum illis contuleris. Miraberis forte praeter meum morem haec tam magna tam audacter audere promittere. Nisi certissimis essent certiora, nequaquam auderem. Nihil tamen temere tentabo, sed bonos et doctos

in consilium adhibebo, inter quos te quam maxime unum cuperem habere. Verum haec hactenus. Petrum nostrum mirabilem hic vidi sanum et barbaricis exuviis indutum. Nybbschyzt est Bononiae. Quia D. V. R. dignata est omnium suorum verbis me salutare, dignetur etiam meos amicos resalutare. Nusquam cuperem meos centum ducatos libentius quam apud illos cum bonis sociis absumere, si res meae paterentur. Domino fratri meo Leonardo nunc scribere non possum, sed scribam brevi. Hic D. Ioannes Rumpoldus canonicus Warmiensis a talibus mihi commendatus est, ut audeam illum tuto D. V. R. commendare; nihil cupit aliud, quam D. V. R. innotescere. Decrevit enim Warmiae residere et scit D. V. R. coadiutorem factum R. Domini Warmiensis. Oro D. V. R., quamquam opus hac in re apud eam precibus meis scio non fore, cum mihi si cuiquam alii constet de summa erga omnes eaque innata humanitate: oro tamen, sentiat hic Dominus precibus meis nonnihil factum se R. D. V. cariorem. Valeat D. V. R. cum omnibus suis quam diutissime animo et corpore feliciter sano.

Romae 6. Aprilis 1537.

D. V. R. deditissimus Ioannes Campensis.

Original im bisch. Archiv zu Frauenburg D. 6. fol. 8.

---

43. Jakob von Barthen an Dantiscus.

1537, Mai 24. Danzig.

Er übersendet Werke etc. für die Bibliothek.

Reverendissime in Christo Princeps ac domine, domine clementissime! Cum proximo autumno a me postulare dignata sit Tua Celsitudo, ut sibi perscriberem, quid novorum librorum ex nundinis Lipsensibus huc allatum esset, statui apud me, quod Tuae Celsitudini rem non ingratam facturus essem, si isti semper deinceps officiose significarem, cum quippiam eiusmodi praestantissimarum mercium huc advectum fuerit, aut quod alioqui comperero, in celeberrimo emporio Franco-

fordiano orbi publicatum invulgatumque fuisse. Quare neque in praesentia huic officio qualicunque deesse volui, donec mihi Deus maiorem occasionem obtulerit animi mei studium addictissimum erga Tuam Cels. declarandi. Principio quod ad desideratissimum Erasmum nostrum attinet, non dubito quin Tua Cels. simul cum multis aliis doctis et piis viris sibi persuaserit, eum insigne aliquod opus post obitum suum primum edendum reservasse, quod invidia una cum corpore suo sopita aequioribus animis ab omnibus exceptum iri speravisset. Verum ea opinio nos prorsus fefellit. Nam haeres eius fideicommissarius, Amorbachius nomine, praefixit epistolam quandam catalogo librorum Erasmi, in qua palam pernegat, quicquam ab Erasmo relictum, quod post mortem suam primum in lucem prodire voluisset, nisi quod inter libros suos opera quaedam antea modo ab ipso edita inventa sint recognita. Nam eam fuisse hominis pietatem, ut quaecunque de fide catholica deque aliis gravissimis rebus, quae in Ecclesia agitantur, senserit, abunde suis aeternis monumentis interim, dum vixisset, piis communicaverit. Hanc epistolam una cum novo catalogo librorum Erasmi libenter misissem Tuae Cels., sed nostri rudes bibliopalae nullum eius exemplar secum advexerunt. Unius copia mihi solum legendi facta est, quod huc cuidam amicorum meorum ex Francofordia transmissum erat. Inter libros autem, quos bibliopolae hi attulerunt, paucos eximios inveni. In theologia Chuonradum Pellicanum, qui modo commentarios in quatuor Evangelia et Apostolorum acta edidit, quemadmodum antea in Vetus Testamentum. Item Itali cuiusdam carmen, quo quatuor Evangelia complexus est, nec non et Eobani Hessi lucubrationes in Psalterium. In iurisprudentia ex relictis operibus Zasii editi sunt commentarii super tit. de Actionibus in Instit. et super aliquot libris ff. veteris. In politioribus literis Rhetorica Lodovici Viuis, item in aliquot orationes Ciceronis diversorum autorum enarrationes, similiter et in aliquot orationes Livianas. Hi fere sunt praecipui libri, quos mihi videre contigit, ex quibus Tuae Cels. mitto carmen Eobani et Excusationem Principum et aliorum Statuum Imperii, quos Evangelicos vocant, quare Synodum a Summo Pontifice indictam recusarint, rogoque ut Tua Cels. haec tenuia munuscula eadem benignitate recipere dignetur, qua mihi significavit se recepisse Erasmi Ecclesiasten, tum propter amicitiam, quam scio P. C. cum Eobano intercedere, tum propter animum meum nuncupatissimum Tuae C. perpetuaque fide istam cultu-rum. Ceterum si Tua C. sibi aliquem et ex aliis autoribus mitti voluerit, dignetur id demandare mihi, nihil prius aut antiquius habituro, quam ut isti et in hac re conficienda et in aliis omnibus, quae facultatatis erunt nostrae, promptum obsequium exhibeam. Novi quod his annectam fere habeo nihil, nisi quod certo accepi D. Hieronymi et Ambrosii opera prelo Frobeniano rursus excudi, brevique longe emendatiora quam antea in manus hominum proditura.

Ex Dantisco, in Vigilia Corporis Christi, Anno 1538.

Celsitudini Tuae addictissimus cliens Iacobus à Barthen.

Original im bisch. Archiv zu Frauenburg D. 6. fol. 11.

---

44. Johann van Campen an Dantiscus.

1537, Juni 12. Rom. (Präs. 14. August).

Salutem plus milies, Reverendissime Domine mi. Respondi literis tuis per Canonicum quendam Warmiensem. Verum quia nunc sese offert tanta nuntiorum oportunitas, non potui omittere quin iterum scriberem. Haereo hic adhuc propter infaustam illam pensionem, cuius memini in literis superioribus, cuius utinam nunquam fuisset facta mentio. Rediissem enim iam pridem ad meos et non cogerer hic videre et audire, quae video et audio. Quamquam fugio hominum consortia, quantum possum, tamen effugere penitus non possum. Et ut non multis his de rebus nunc tecum agam, ex uno collige reliqua. Impio furioso illi Verpio Aleandro Mattensi commissa sunt negotia Germaniae hoc nomine bis infelicis. Hic iactat se habere librum secretorum Germaniae et tantum non magnus

Germaniae Cancellarius haberi vult; hic quatuor habet per Germaniam Evangelistas, quibus tamquam columnis nititur, Fabrum, Eccium, Cochleum et nuper exortum Nauseam, homines quos certe scio malle tres novos Lutheros existere quam unum hunc resipiscere. Quod quare scribam, tu, qui ingenia singulorum probe nosti, non ignoras. Editus est hic Romae diebus superioribus epistola Fabri de utilitate Concilii plane fabro ferrario digna; si nancisci potuero, mittam. Interim huiusmodi hic placent idque consilio Verpii. Ego misere hinc abire cupio, metuo tamen, ne me rei indignitas cogat semel libere dicere quae sentio. Philippus videtur valde tractabilis, et ratio revocandi non solum illum sed et Martinum ipsum certissima inveniri posset, idque cum gratia, verum per alios quam quos hic Romae video, ubi tanta est literarum sacrarum inscitia et tantum veteris inscitiae pratrocinium, ut nusquam fuerit unquam maius. Si isthic apud te essem, nec Papa nec Cardinales omnes me Romam pertraherent. Vale, Praesul ornatissime!

Romae 12. Iunii 1537.

Dignetur quaeso R. V. D. meis verbis veteres amicos salutare omnes.

Rmae. D. V. deditissimus Ioannes Campensis.

Original im bisch. Archiv zu Frauenburg D. 6. fol. 12.

---

45. Caspar Hannow an Dantiscus.

1537, October 23. Krakau. (Präs. October 30.)

Er bittet seinem Lehrer Val. Pernusius eine Gratification zuzuwenden.

Impudens ac improbus plane videri possem, Praesul humanissime, qui Amplitudinem tuam, quotidianis meis postulationibus occupatissimam interpellem, nisi eo animo Amp. tuam esse cognoscerem, ut quos semel tueri coeperit, non quiescat, donec plane corfirmet. Quare dum hic sub viro optimo iuxta doctissimo, Valeriano Pernusio, praeceptore meo, privatim lectiones duas, Dialecticam sc. et Rhetoricam, audio, quas magna cum diligentia et eruditione singulari tradit, optarem

ex animo, ut eius etiam labori aliqua ex parte satisfacere et mihi favorem aliquem apud hominem hunc conciliare possem. Proinde peto et quaeso etiamnum Amp. tuam maiorem in modum ut, posteaquam his lectionibus finis impositus fuerit, mihi liceat florenum a D. Georgio Hegel pro pretio huic meo praeceptori, quo sane circa hoc Gymnasium nemo tum doctior integriorque, tum trium linguarum peritior existit, postulare. Id ego ab Amp. tua et diligentius et pluribus verbis contenderem, nisi vererer, ne de Amp. tuae humanitate, quam ego semper propensissimam sum expertus, diffidere viderer. Ego vero vicissim, quid Amp. tuae, quid inquam pro his pollicear? nihil habeo, num me ipsum quantus sum dedam? At exiguum est, iis me dedere, qui nisi fuissent, ipse non essem. Hoc tamen praecipue despondeo, ut Amp. tuae aliquando usui esse possem, curaturum me in primis et quam diligentissime semper. Bene valeat Amp. tua in Domino.

Cracoviae Anno domini 1537 die 23. Octobris.

R. Ampl. Tuae infimus clientulus Caspar Hannow.[1])

Original im bisch. Archiv zu Frauenburg D. 6. fol. 24.

[1]) C. H. der Schwestersohn des Dantiscus † als Domherr in Frauenburg 1571.

---

46. Caspar Hannow an Dantiscus.

1537, December 6. Krakau. (Präs. 14. September).

H. sendet Bücher an den Oheim.

Bis gratas mihi (literas), amplissime Praesul, a Celsitudine Tua, avunculus ille meus benignissimus D. Bernhardus feliciter ex itinere ad nos veniens reddidit. Eius siquidem aspectu etiamnum usque adeo gaudebam, ut dubitem num cuiusquam magis unquam. Quem velim una cum Celsitudine Tua Deus optimus maximus in Nestoreos servet annos. Intellexi ex his praeterea, Cels. T. curasse, quo D. Georgius Hegel praelectoribus meis suppeditaret mercedem, pro qua re Cels. T. maximas ago gratias agamque dum vivam. Hinc enim futurum, ut liberius eorundem opera utar. Descripsi Cels. recentiorum librorum indicem, nuperrime adductorum,

quem his adiunxi. Libri autem illi, quos Cels. Tuae D. Bernhardus secum abducere voluit, intra illud breve tempus compingi non poterant; qui compacti distrahebantur. Habet Tabulas praeterea in iure, in Galenum, in officia Ciceronis, in literas Graecas et opuscula quaedam nova. Dominus Iesus servet Cels. T. in aeternum.

Cracoviae, ipso die Divi Nicolai, Anno domini 1537.

R. A. T. infimus clientulus Caspar Hannow.

Original im bisch. Archiv zu Frauenburg D. 6. fol. 27.

---

47. Johannes Vranoplusius an Dantiscus.

1538, Januar 14. Althausen. (Präs. 16. Januar. Löbau).

Joh. Himmelreich, Lehrer am Particular in Culm (vgl. Culmisch. Urkundenbuch S. 798), geht in seine Heimat Schlesien zurück.

„Et bene apud veteres memores stat gratia facti", inquit quidam, Amplissime Princeps, magni nominis absque Christo sapiens. Ego vero tot tantisque a Reuma Paternitate Tua affectus beneficiis, tantum abest, ut aequare nequeam. O utinam referre aliquando cumulatissime possem, qui superiora memini a liberalitate R. Ptis T. profecta, quae semper animo meo fixa manebunt, et semper ex conscientia (quae mille testes) metior mea. Et ut voluit proximis literis R. P. Tua, nepotibus ex germanis sororibus gratificatus sum, gratificaborque lubens, quos ambos ita tractabo, ut recepi, qui neque studium neque officium meum in perdiscendis politioribus literis Musisque mansuetioribus desiderabunt.[1]) Neque sum tam inhumano ingenio neque tam imperitus, ut quicquid officii atque laboris et diligentiae in nepotes R. Ptis Tuae contulerim, id te ita accipere, ut in R. Ptem Tuam putem contulisse. Nunc in hac re R. P. Tuam deprecor, qua hunc meum laborem scholasticum alteri delegabit, ut possim ad tempus certum et in annum lunarem a R. Pte Tua manu mitti. Nam vocatus sum a domino patre meo in patriam, qui filium prodigum recepit in gratiam et me diutius in his puerilibus nugis versari non vult, sed dare rationem, cum mihi

sit iniusta noverca mei matrimonii. Quare peto a R. Pte Tua, ut velit rationem habere meae paupertatis atque mederi inopiae meae quinque florenis in usum quotidianum, et ut mihi coemere possim ea quae ad expeditionem pertinent. Quid sit R. P. Tua actura, quae summo beneficio (ut superiora cum inferioribus retexam) sibi suisque omnibus, quod ego semper fatebor, devinxit, et quid placeat, pergratum erit, si ad me proximo nuntio, qui nunquam a consiliis R. Ptis Tuae discreparem, sed id sequere (!) putavi, quod R. P. Tua optimum factum putavit, scripserit. Egi Comoediam sub Calendis Ianuariis in ipso die Divi Ioannis in Praetorio publice Culmae, ubi bonis literis nullus honos habetur, atque earum professores male audiunt. Ego me fortunasque meas Reumae P. T. officiose commendo.

In aedibus antiquis, 14 die Ianuarii, Anno 1538.

R. P. T. deditissimus cliens Ioannes Vranoplusius Silesius.

Original im bisch. Archiv zu Frauenburg D. 6. fol. 29.

1) Augustin Reiße und Johannes Lemann.

---

48. Johannes Lemann an Dantiscus.

1538, August 7. (Danzig?).

J. L., der Schwestersohn des D., fragt den Oheim um Rath wegen seiner Studien, insbesondere ob er nach Wittenberg zurückkehren soll.

Vocatus sum a meis parentibus, Praesul piissime, in patriam, partim fortasse, ut de meo in bonis literis et moribus profectu aliquid cognoscerent, partim ut mecum loquerentur et audirent, cui facultati tandem me essem dediturus. Qua in re ut honesta libenter et avide illis obtemperari venique satis feliciter ad eos. Sed quia nunc deliberant, quando me Wittenbergam remittere velint, duxi esse officii mei, ut ad T. D. scriberem, quam hinc proficiscerer, idque cum propter amorem erga T. D. meum, tum ut a T. D. pro sanguinis necessitudine consilium de studiorum meorum ratione, quod semper summa cum observantia et diligentia secutus sum et nunc cupidius sequar, audirem. Ea est enim mea aetas, ea

doctrina, ut mihi opus sit sequi doctorum virorum iudicia, atque adeo tua, quem propterea eo facilius audio, quo amiciorem scio et fideliorem neminem. Suasisti autem ut me ad artes conferrem; feci id quidem, sed utinam tanto fructu quanto cupio. Scit enim D. T. ita se habere artes: non uno anno discuntur, sed quemadmodum dicit Cicero, requirunt tempus et diligentiam. Cum igitur decretum sit T. D. consilia sequi, in praesentia oro eam, ut brevi epistolio significet, quid puero agendum mihi arbitretur esse, censeatne pergendum esse in artibus, quod vehementer cupio, an aliquam facultatem arripiendam. Parentes cupiunt, ut me ad facultatem aliquam applicem neque expectandum esse diutius putant. Ego contrariam sententiam teneo, nempe ante discendas esse artes ac aliquem styli usum parandum. Sed haec omnia stabunt cadentque tuo iudicio; quodcunque mihi T. D. suaserit id amplectar ambabus ut aiunt ulnis. Quare fecerit T. D. parentibus meis et mihi rem gratissimam, si non gravaretur paucis ad nos suam sententim perscribere. Haec sunt quae peto facilia neque minus honesta, quare omni observantia contendo a T. D. ut mihi aliquid rescribat. Praeterea T. D. oratam volo, ut si poterit aliquando, quemadmodum non dubito, meis studiis aliquantulum auxilii circumspicere, pro sua clementia et liberalitate id facere velit. Non enim libenter gravarem parentes, et tamen sumptus magni sunt faciendi. Quare si id fecerit T. D. ero vicissim gratus et praesto in omni officiorum genere. De haeresi non est quod cogitet T. D. et laboret; eam odi ex animo et fugio ac ecclesiam piam sequar dum vivo, certus quod is sit habendus ut ethnicus et publicanus, qui ecclesiam non audiverit. Parentes mei fortasse offenderunt T. D. sed quid cum illis facias? homines sunt non ita in omnibus circumspecti, non autem studiose aliquid factum est, nam T. D. amant ex animo. Quare si qua orta est offensa, condonanda est. Sed hoc nihil attinebat scribere, scio enim T. D. nihil mali de meis suspicari. Hoc tamen addam, si voluerit T. D. Dno. Philippo Melanch. scribere, faciet ea in re ei rem gratissimam. Fecit enim me praesente saepius honorifice T. D. mentionem ac

nunc scripsisset ad T. D. nisi aurigae, cum quibus mihi abeundum erat, tam festinassent. His paucis valeat T. D. in Christo. Meque totum tibi commendo, quodcunque T. D. suaserit, id sum secuturus.

D. a. 1538 septimo die Augusti.

T. D. obsequentissimus Ioannes Lehemannus.

Original im bisch. Archiv zu Frauenburg D. 68. fol. 187.

---

49. Vitus Amerbach an Dantiscus.

(1538?) October 7. Wittenberg. (Präs. 7. October!).

Er berichtet über seinen Schüler J. Lemann und wünscht von Dantiscus friedliche Reformation der Kirche.

Praestantissimo et facundissimo viro Iohanni Dantisco Antistiti Colmensi et regni Poloniae Oratori, patrono suo plurimum observando, Vitus Amerbachius [1]) salutem dicit plurimam. Etsi iustam causam ad te literas dandi, reverende Praesul, existimabam hoc tempore me habere, tamen, nisi confiderem, eam esse tuam sapientiam et humanitatem, quae aliorum sermonibus mihi utcumque cognita est et in quadam epistola tua, quam ut viderem et legerem, casu quodam factum est, se ipsa expressit, plane a scribendo absterreret me et insignis tua doctrina et dignitas ac splendor prope singularis. Praeterquam enim quod conditio mea nequaqum tuae par est, natura mihi quendam peculiarem metum et reverentiam erga eos viros indidit, qui sunt magna doctrina excoliti et non modo praeclaris virtutibns ornati, verum etiam auctoritate et dignitate honoribusque supra ceteros eminent. Quae omnia in te esse non tandum non doleo, quod invidi esset et obscuri, sed vehementer laetor et agnosco atque magni facio dei dotes maximas et pulcherrimas. Quid enim aliud vult Homerus, qui scribit poetas ex Apolline et Musis natos esse, reges ex Iove, — sic autem inquit: *Ἐκ γὲ μουσάων καὶ ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος Ἄνδρες ἀοιδοὶ ἔασιν ἐπὶ χθονὶ, καὶ κιθαρισταὶ, Ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες* — quam divina esse munera et scientiam liberalium artium et honorem ac dignitatem?

Nonne hoc etiam sacrae literae in multis locis praecipiunt, ut magistratus et praestantes reliquis eruditione et prudentia viros honore afficiamus? Quae cum in te esse mihi persuasum sit, non leviter peccarem, si te non summe revererer et plus quam temerarius et impudens, si tibi meas ineptas literas obtruderem sine aliqua iusta aut probabili causa. Eam dum expono et hoc breviter ago quod volo, ut operae aliquantum mihi et temporis des, immo tuis ac tibi etiam fortasse, non tam oro, quam te pro tua mansuetudine scio libenter et tua sponte facturum esse. Hoc magis oro, ne tibi minus haec digna causa videatur, cur scripserim, quam mihi est visa. Sed nimium in excusando sum longus. Quin sic potius accipe. Venit his diebus ad me Iohannes Lemannus, tuae sororis filius, qui per hoc semestre privatim usus est me praeceptore in discendis bonis literis, et significavit mihi praeter alia pleraque, te suum esse avanculum ac rogavit sibi hoc officii praestare, ut vellem, ut de suis studiis et ingenio tibi aliquid scriberem. Commendationem putavimus apud te intempestivam et parum convenientem fore. Nam, ut poeta inquit, peccat, qui commendandum se putat esse suis. Hoc statim facturum esse me recepi, gavisus quoque, oblatam esse mihi occasionem non modo compellandi per literas tantum virum, sed multo magis testificandi mei studii erga discipulum ergaque te observantiam quoque, non solum amorem et studium. Quocirca, si quid praeceptoris de suo discipulo vox et velut testimonium ponderis apud avunculum eius habere debet, debere autem puto plurimum, sic existimes, Iohannem tuum, immo nostrum, prout in hoc tam brevi tempore et in aliis multis meis laboribus potuit cognosci a me, ita cognitum esse, ut putem nec ei modestiam et alias virtutes, quae debent esse in tali aetate, nec ingenium et industriam ac studium in percipiendis liberalibus disciplinis deesse, tantumque nunc eum progressum esse, ut non aut parentes sumptuum, aut ipsum operae ac laboris poenitere possit. Ac, si quid tu etiam de tuo in eius studia confers, id tibi non perire prorsus arbitror. Faxit Christus, ut in hoc instituto cursu et decurso iam aliquo usque spatio permaneat. Nisi enim ille aspiraverit, a quo

est *πᾶσα δόσις ἀγαθὴ καὶ πᾶν δώρημα τέλειον*, ut ait S. Iacobus, non tantum irriti nostri conatus erunt, sed etiam perniciosi. Postremo rogo etiam te atque obsecro, ut in componendis dissidiis ecclesiasticis omnem tuam auctoritatem, dignitatem et vires omnes totamque mentem eo conferre velis, ut et corrigantur ea quae multa prava haud dubie in Ecclesias introducta sunt per negligentiam et imperitiam eorum qui praefuerunt, et tota res sine caedibus et bellis transigatur, aut, si ita mavis, ut Christi gloria defendatur et magis ac magis patefiat hominibus ac augeatur. Deinde ne respublica affligatur vi et armis. Quae facere verum est et praecipuum Episcoporum officium purissimaque et gratissima omnium Deo victima, ut sic dicam, nec ulla re alia coli melius aut uberius Deus potest. Nos, si nihil aliud poterimus, nostris precibus hanc totam causam, quae gravissima et periculosissima est, adiuvabimus diligenter et ex animo. Porro in instituendo Iohanne posthac etiam eam navabo operam, quam potes aut debes de homine probo et fideli tuique amantissimo expectare, atque, si et aliis in rebus facere tuo nomine possem, quod gratum esset, facerem, quanto velles tu et ego possem studio. Vale, decus regni vestri, clarissime Antistes, et da veniam meae tum prolixitati aut loquacitati potius, tum, si quid offensum est, etiam imprudentiae. Iterum vale, ac me tibi commendatum habe, tuque Christo sis quam commendatissimus, ut rectissime et copiosissime de republica Ecclesiastica diutissimeque merearis.

Datum Vitebergae. Non. Octobris.

Original im bisch. Archiv zu Frauenburg D. 6. fol. 133—134.

1) B. Amerbach, der spätere Convertit, starb 1557.

---

50. Johannes Poliander an Dantiscus.

1538, November 14. Königsberg.

P. dankt für frühere Gunstbeweise und sucht aus einem Gedicht des D. auf Uebereinstimmung im Glauben zu schließen.

Reverendissimo in Christo Patri, Principi et Dno. Dno. Iohanni, Episcopo Varmiensi, domino suo clementi se com-

mendat. Principibus viris multos passim assentari admodum vulgare est, Antistes Reume. Quod ut quisquam apud te, qui in magnorum regum aulis tam diu versatus, tam longo rerum usu es edoctus, feliciter tentare possit, vix crediderim. Quanquam igitur causae aliquot non contemnendae me invitarent, ut literas aliquando darem ad Reumam. D. T., cum tamen viderem vix a specie assentationis abesse posse quicquid scriberem, hactenus tacendum duxi. Sive enim gratias agere tibi parassem pro illa clementia, qua me abhinc triennio Cracoviae tuae mensae adhibere atque adeo hoc quasi symbolo inter tuos recipere dignabaris, sive plenam erga subditos beneficentia prioris tui Principatus tum administrationem tum abdicationem gratulari tibi voluissem, aut etiam istius nuper amplioris principatus inaugurationem tibi faustam et felicem pro more clientum precari statuissem, periculum erat, ne in aliquam adulationis suspicionem inciderem, cum nihil horum sine tuis laudibus a me fieri potuisset. Nunc vero diversi generis occasio mihi oblata est, quae ut scribendi ansam dedit, ita ad scribendum quoque me animavit. Siquidem vidi his diebus duo Epitaphia felici memoriae clarissimi doctoris Reynecii consecrata. Quorum prius meum esse comperi, id enim officii amico recens defuncto persolvendam putavi, posterius vero, nisi vanus augur sum, coniicio Reumae T. D. opus esse.[1]) Hic igitur cum inveniam quasi civilem quandam correctionem, immo potius declarationem meis versiculis adhibitam, non possum non magnas agere gratias Reumae T. D., quae meum qualecumque scriptum tam humaniter et clementer tractaverat, cum non pauci hac tempestate super hoc iustificationis articulo acerbis scriptis inter se ex diametro dissenserint et odiose conflictati sint. Ego itaque mihi persuadeo Reumam D. T. non abhorrere ab hac fidei doctrina vere Evangelica. Alioquin recte meos versiculos nullo negocio potuisses abolere. Proinde inhumanus essem, nisi et ipse civiliter tuam sententiam de piis operibus fidem comitantibus interpretarer, ut quae a scriptura neutiquam dissonet, modo recte intelligatur. Puto autem neminem esse, qui terrorem iudiciorum Dei nonnihil expertus non ingenue mecum fateri

cogatur, quod hac occasione motus his versibus, nihil minus quam ludens, lusi:

Vae mihi, pro factis si Christus debita pendat
Praemia, lex mors est: ancora sacra fides;
Tam pia nullius, fateor, fuit aut erit unquam
Iudicium ut possit vita subire Dei.
Tota salus venia Patris constat miserentis,
Nil datur hic carni: gloria tota Dei est.

Finem hic facio, ne Reumae T. D. prolixius quam decet obstrepam, rogoque maiorem in modum, ut pro clementia tua singulari boni consulas, quod a cliente Poliandro tuam Sublimitatem reverenter suspiciente profectum est. Fortassis inter laeta nuptialis convivii studia rescribere vel non vacabit vel non libebit; hic erit mihi consul noster Belerus literarum vice, si quid ei mandandum duxerit D. T. Reuma. Quam diu in gloriam suam servet incolumem Christus servator.

Konigspergii anno post Christum natum MDXXXVIII, decima quarta die Novembris.

Reumae D. T. deditissimus Ioannes Poliander.

Original in Upsala: Epistolae Dantisci I. fol. 185.

[1]) Diese Vermuthung Polianders, des Reformators von Königsberg († 1541) ist richtig. Am 24. Februar 1536, bald nach dem Dr. Reineck in Königsberg gestorben war, schreibt Dantiscus aus Löbau an seinen Freund den kaiserlichen Gesandten Duplicius Schepper: Indidi huic schedae R. Dni. Episcopi Cracoviensis et sororii mei Doctoris Reynecii epitaphia. Primum scripsit Poliander, concionator in Monte Regio, apud Ill. Marchionem Albertum magno in pretio, fidei omnia tribuens, cum tamen S. Paulus charitatem praeferat, quae nunquam quiescit et sine operibus et fructibus esse non potest. Qua de re alterum meum addidi. (Cod. Upsal. Dant. II, fol. 187.)

---

51. Wilhelm Gnaphäus an Dantiscus.

1539, März 10. Elbing.

G. übersendet seinen „triumphus eloquentiae“ u. Correcturen zur Paraenesis des D.

Dici non potest, ornatissime Praesul, clarissime Princeps, quantum me tibi debere fatear, quod rudes illos et informes versiculos meos non modo benigno animo, sed et iusta simul

ac amica censura exceperis,[1]) tum tam docti quam pii poematis tui copia mihi facta remuneratus sis. Quo fit, ut satis ac super gratiae meo in te qualicunque officio repositum arbitrer, etiamsi nihil praeterea remunerationis accedat. Atque o utinam quas dedimus nugas dignae sint, quae Tuae Cels. dedicentur, adeoque studiosam iuventutem ad literarum amorem efficaciter instigent. Cum enim tuam illam cum doctissimam tum pientissimam paraenesin et metanoeam lego, totus mihi in meis scriptis videor frigere, atque adeo mihi etiam displicere incipio, qui parum prudenter ac circumspecte, habita et tuae Thaliae et meae infantiae ratione, vel lumen Soli vel noctuas Athenas temere conatus sim afferre. Quippe non possem non pudore suffundi, quoties mecum reputo, quam indigne mei illi socci cum tuo illo cothurno, poema loquor, committantur. Diomedis heic et Glauci permutationem iuxta paroemiam factam iures. Verum enimvero cum gloriosum sit, in id genus literaria contentione aliquousque prodire, si non datur ultra, facile impetrem spero a tua humanitate meae audaciae veniam. Ceterum paraenesin tuam quo meretur encomio prosequerer hoc loco, Praesul optime, nisi tua non patiatur modestia suas audire laudes et ego inferior sim, quam ut eas parteis digne queam praestare. Novi etenim, quam sit mihi curta suppellex. Hoc tamen unum, quod possim Deum Opt. Maximunque enixe precor, ut eam animi tui pietatem ac metanoeam, quae in tua elucet paraenesi, magis ac magis adaugeat. Tum quod poetices peritiam attinet, nesciam, si non Musarum chorus oppido quam gravissime indignetur tuae illi aulae, quae ipsis talem vatem inviderit atque ab Heliconis solitudine et otio in turbas et civilium negotiorum undas abreptum tantum non submerserint. Quod autem meam in tuo poemate censuram requiris, me eius Aristarchum factum iubes, modestiam et agnosco et suspicio tuam. Ceterum mihi religio sit, ut sus Minervam docere tentem aut illotis adeo manibus tua sacra temerarius prophanator attingam. Interim tamen testabitur scedula altera voluntatem obsequendi tuis votis mihi non defuisse.[2]) Sed nolim heic pluribus patientissimas C. T. aureis onerare, si

hoc unum abs T. C. impetrem, ut cum mihi tuo clientulo, tum studiis publicis, quod clementer coepisti, favere benigne pergas. Quod cum te facturum sperem, quod reliquum est, Praesul ornatissime et idem Maecenas studiosorum unice, T. C. Superis etiam atque etiam commendo. Vale. Ex Collegio nostro literario.

10. Martii Anno M. D. XXXVIII.

Clariss. T. C. deditissimus cliens Guil. Gnapheus.

Original in Upsala: Epistolae Dant. II, fol. 3.

Die Adresse lautet: Reverendiss. in Christo praesuli, eidemque clariss. principi et Domino, D. Ioanni, Varmien. Ecclesiae antistiti digniss. D. et patrono meo clementissimo.

[1]) Wilhelm Gnapheus (Willem van de Voldersgraft) geb. 1492 im Hag † 1568 in Norden, der erste Rector des Elbinger Gymnasiums, hatte an D. seinen „Triumph der Beredsamkeit" gesendet. Vgl. darüber Reusch im Elbinger Gymnasialprogramm 1877 S. 11 ff., unten Nr. 52 und 54.

[2]) Die dem Briefe auf dem zweiten freien Blatte beigefügte Nachschrift von Gnapheus' Hand schlägt folgende Correcturen zu dem an Eustachius von Knobelsdorf gerichteten Gedichte vor: Paraenesin legens non semel sed iterum idque summa cum voluptate haec minutala offendi, lima — sed facili et prompta — digna: fol. 1. Claudicanti non recte legitur producta priore media, nisi Sistole sit. — quatern. b. fol. 4: Perveneris altera brevi per Diastolen, cum producatur pretium. — quatern. d. fol. 3: Cor producit, cum alibi in eodem carmine corripiatur, ut eius fert natura. — quatern. D. fol. 1: Ergo pro causa, sed obscurius, ni fallor. Expers Christi malim legere: Impingens autor fit sibi saepe mali. In voce Antigone aliquamdiu haesi. Sic pro voce: confisio propter analogiae insolentiam equidem legerem fiducia. Item „serior, blandidici, moriger, miserere infinitivum, et comitari activum" sapiunt affectatius archaismum, meo iudiciolo, quamquam auctoritate nituntur. Non annotassem haec, ne videor in scirpo nodum quaerere, nisi Caesaris dictum apud Gellium nos moveret, ut verbum novum atque insolens ceu scopulum fugeremus. — Parui, quod pro temporis ratione potui, votis tuis, Praesul longe doctissime, sed an tuae de me expectationi satis fecerim, nescio. Libertatem meam tui erit immensi candoris boni consulere. Ex tempore ex Museo nostro. 10. Martii 1539. T. C. I. deditiss. cliens G. Gnapheus. Diese Verbesserungsvorschläge beziehen sich übrigens auf ein handschriftliches Exemplar der Paränesis, welche erst im Juli in Krakau bei Hieronymus Unger durch Hosius' Bemühungen im Druck erschien. Dantiscus selbst schreibt von Heilsberg am 18. Juli 1539 an Georg Hegel in Krakau: Der Drucker H. Unger hat unser Buchlein, das Caspar

(Hannow) mit sich gen Krako gebracht, aus Befel des Herrn Doctors Hosii gedruckt; dorein sein X Quaternen, d. i. X gantze Bogen Papier, kommen. Domit er (zu) seiner Arbeit u. Anlage Rhecht und Rocz kweme, wollen wir IIc Exemplaria von im nemen, ein iczliches zu III Groschen, wie wir sonst von Leipzig und anders her IV Quaternen von den Buchfurern pflegen zu kowffen. Hirumb bit wir, wolt solche 200 Exemplaria von im nemen und im dovor 20 flor. zu 30 gr. zalen, die uns anstehen. So komen in der Uebermaß 3 flor. und 10 grosch. Die schenken wir ihm vor ein Pergamen Exemplar, das er dazu gedruckt hat... Solche Exemplaria wolt mit der ersten gen Thorn bestellen. (Concept von Dantiscus' Hand im bisch. Arch. Frauenburg D. 7, fol. 102. Vgl. auch D. 7, fol. 76 b.)

---

52. Wilhelm Gnaphäus an Dantiscus.

1539, März 23. Elbing. (Präs. März 29).

G. vertheidigt sich gegen wiederholte Verdächtigungen ꝛc.

Tuas ad me literas favoris et clementiae plenas, Praesul optime et idem Princeps clarissime, summa cum animi gratitudine perlegi. Nam ex iis intellexi, nostrum in te qualecunque officium non modo gratum fuisse, sed T. C. erga me benevolentiam etiam adauxisse, qua o utinam tam queam quam optem me dignum praestare! Heic ego re ipsa comperio, quam non temere Charites ipsas Musarum collegio addiderit antiquitas. De rumusculis porro detergendis, quod tua paterna monet benevolentia, non potuit non esse gratiosimum, cum quod hinc videam, quam bene mihi velis, tum quod talis mihi sis monitor, quem merito faciam maximi. Quod odiosi de me rumusculi spargantur, sed ab iis, qui bonorum odio dignissimi sunt, non aliud in causa fuisse reor, quam quod ab illorum factionibus contente abstineo qui, quod et tua iustissima habebat querela, fidem iactitant sed enervem et mortuam. Evangelium habent in ore, circumferunt manibus, sed cuius nullum sensum vel experiantur vel specimen edant. Cogor velim nolim istis Svermerus, fanaticus, anabaptista esse, quas calumnias immo convicia quam inique in me torquere aliquando conati sint, non uno sane exemplo possem edocere, nisi religio esset, aurium tuarum patientia

id genus nugis abuti. Antisthenes perhibet, regium esse male audire, cum bene facias. In specula heic quadam consisto, nec desunt Coryrei, qui me Argi quod dicitur oculis observent; ii tamen meam innocentiam et animum bene sibi conscium opprimere nullis calumniis potuere. Sed alibi huic purgationi locus esto. Ceterum id quidem nolim te clam esse, Praesul dignissime, Triumphi modulos ex tuo iudicio longe exactissimo ad incudem revocatos; quare, si non aspernaberis, eos et emaculatiores et aliquanto locupletiores, cum huc T. C. divertet, es habiturus; quibusdam ei sublatis alia substitui, alia locupletavi. Porro ut contra postulationem tuam poematis tui exemplum servarem, quod fortasse factum existimas, Praesul optime, id neque meae fidei patiebatur integritas neque mandati tui ferebat summa auctoritas. Quare, quod a me requirere tibi visum fuit officii, praestare nequeo. Animi interim mei bonam propensionem tibi non ingratam fore spero, quamquam nihil reliquum memini ex tumultuaria lectione, quo meam ineruditam et crassam operam possem, si maxime velim, tibi pro tua de me expectatione comprobare.[1]) Tantum ex tempore visum fuit respondere ad amantissimas tuas et clementissimas literas. Iis T. C. Deo Opt. Max. commendo. Elbingae ex Collegio nostro literario. 23. Martii Anno VCXXXIX.

Clariss. Cels. Tuae studiosiss. cliens. Guliel. Gnapheus.

Original in Upsala Cod. Dantisc. II, fol. 6.

[1]) Vgl. darüber Reusch a. a. O. S. 12.

---

53. Gemma Frisius an Dantiscus.

1539, December 12. Löwen. (Präs. 1540 März 17.).

Nachrichten über persönliche, Familien- und politische Angelegenheiten.

S. P. et officiorum meorum commendationem. Non potui committere, Praesul Reverendissime, quin data hac tanta opportunitate nuntii aliquid de meo ac nostratium statu ad R. D. T. transscriberem, cui spero non ingratum fore aut saltem non molestum inter arduas occupationes aliquid etiam nostra-

rum nugarum admittere. Sane mihi longe omnium gratissimum hac tam longa temporis et locorum intercapedine fuit audire certi aliquid de R. D. V., quam multi etiam praeclari viri, iique R. D. V. non solum noti sed et familiarissimi, iam dudum e vivis excessisse contenderunt, adeo ut et me fere in eandem opinionem pertraxerint. Sed suspicionem hanc et metum discussit D. Iacobus a Barthen, R. D. Vestrae (ut audio) amicus, qui nos non parum exhilaravit. Quod nunc vero ad statum rerum mearum attinet, ego arte medica victum quaerito, artes vero mathematicas non nihil sepono, ita urgente rerum nostrarum conditione, quae quaestuosam magis requirunt quam iucundam artem. Uxor mea sicut vitis abundans in lateribus domus meae et filii sicut novellae in circuitu mensae. Ecce sic benedicetur homo, qui timet dominum! Filius tamen nunc unicus superstes est, alter in divorum numerum relatus, tertium vel filiam expecto in mensem. Deo iuvante. Utinam R. D. V. possem ad suscipiendam prolem orare! Sperarim impetraturum id me (quae eius est humanitas) non difficulter. Reliqua nostri status utcumque se habent. Novaram rerum hic magna satis copia. Expectamus in dies adventum Caesaris, quem iam in Gallia esse non est dubium. Excipietur cum triumpho Parhisiis decima quinta huius mensis (etenim confidit Gallo), inde recta ad nos migraturus. Gandavum maximos excitavit tumultus adversus aulam Reginae. Exactiones solvere noluit, nec milites exhibere, magistratum omnem movit, vectigalia renuit; nunc tamen usque ad Caesaris adventum pacata sunt omnia. Traiecti Mosae praetor et consul una nocte per tumultum miserrime occisi sunt, cadavera in platea relicta plus 24 horis. Causam non caperet epistola, nec tempus admittit, adeo mihi ex insperato haec oblata est scribendi occasio. Rex Angliae duxit in uxorem filiam Ducis Cliviae; Gheldriam adhuc obtinet Dux Cliviae iunior, nam senior obiit, quemadmodum et Dux Gheldriae, Dominus de Nassau, Coredmatis exeredus Dns de Bari ac plures alii. Item Barlandus noster et Goclenius, Lovaniensis Academiae duo lumina. Professor Latinus nunc est Petrus quidam Nanius, non vulgariter eruditus, verum non aeque facundus.

His paucis R. D. V. Deo Optimo Maximo commendo, qui eam quam diutissime sospitem servet.

Lovanii 12a. Deceb. 1539.

R. D. V. paratissimus Gemma Frisius.

Original in Upsala Cod. Dantisc. II, fol. 24.

---

54. Thomas Cranmer von Canterbury an Dantiscus.

1540, Juni 20. Lambeth. (Präs. August 29.).

Er sendet einen Jüngling zurück, den ihm D. vorlängst zur Ausbildung übergeben ꝛc.

Rumor hic erat aliquamdiu, carissime Dantisce, nescio quo autore quave occasione natus, te e vivis excessisse. Quem rumorem neutiquam mendacium esse ut crederem, eo facilius sum adductus, quod tanto iam tempore abs te nullam literam acceperim. Nam totis hisce tribus et eo amplius annis quod sciam [1]) ad me scripsisti nihil; itaque persuaseram mihi verisimilius esse te omnino mortuum quam vel desidiosum vel mei oblitum vivere, qui solebas esse homo omnium hominum quos equidem noveram ad omnia impigerrimus et erga amicos minime obliviosus aut ingratus, atque idcirco supervacuum fore putabam, si scriberem ad te, quin potius manibus tuis pacem requiemque precatus, Deum orabam, ut in eius coelesti regno socii aliquando comparticipes esse possimus, quando in hoc saeculo nihil amplius commercii inter nos futurum sperarem. Nunc autem cum te superesse salvum et incolumem dudum intellexerim, volui meis scriptis silentium istud tuum tam diuturnum tamque veternosum interpellare, simul et mei memoriam, si forte tibi exciderim, apud te refricare. Subest et alia in praesentia mihi ad te scribendi causa. Ea est istiusmodi. Puer quem mihi dederas educandum iam ad id aetatis pervenit, quo sicuti a magnis et in sapientia praecellentibus viris consultum praeceptumque video, constituere quisque debet, quam vivendi viam sit ingressurus. Vocatus igitur a me et iussus, uti super ea re deliberaret, respondit velle se libenter in patriam regredi atque ibi quod reliquum esset vitae Deo disponente transigere, nisi dubitaret, an tu viveres, in quo rerum speumque suarum summa esset collocata. Dum-

que hic tanquam ad scopulum haeremus, ecce veluti ϑεὸς ἀπὸ μηχανῆς vir nobilis Regis vestri apud Caesarem legatus e vicino Belgarum littore regis regnique nostri videndi gratia in hanc insulam traiicit. Is super te rogatus laetum responsum dedit te vivere valereque. Quo nuntio iuvenis incredibiliter est accensus, ut patriam suam reviseret. Nec ego eius tam pio tamque naturali desiderio diutius quivi obsistere. Legatum itaque rogavi, uti iuvenem, cuius transmittendi curam in se susciperet, in comitatum suum admitteret, accepto a me viatico. Sed cum ille varias causas allegaret, quominus id posset facere, quod proximum erat, transegi cum mercatore quodam de eo per mare Dantiscum usque transportando. Quod superest te obsecro obtestorque pro nostra intemerata amicitia, ut iuvenem istum animo non minus benevolo nunc a me recipias, quam ego eum puerum olim abs te accepi, utque, sicuti a me hactenus causa et amore tui neutiquam illiberaliter et indiligenter est educatus, ita deinceps vel eius vel etiam mea causa des operam, ut honesto alicui vitae instituto per te applicetur. Invenies eum ad quidvis satis aptum et idoneum. Linguam tenet nostratum tanquam hic fuisset natus. Nec latinae linguae est ignarus, in qua elegantissimos quosque autores et iuris civilis rudimenta sub optimis quos habere potui praeceptoribus effeci ut degustaret. Praeterea quo absolutior evaderet, Lutetiam eum Parisiorum tanquam Athenas alteras expoliendum misi, ut et eius gentis mores, linguam, literas perceptas haberet. Postremo, paucis ut finiam, de eo bene instituendo non minus mehercule solicitus atque profusus fui, quam si fratris mei germani filius fuisset.[2]) Tu cura ut valeas et mei saepe sis memor sicut et ego tui.

Datum Lambethae vicesimo die Junii.

Reverendo in Christo patri et amico carissimo D. Ioanni Dantisco Eppo Varmensi tradantur hae literae.

Amicus tibi non minus etiam nunc quam olim animo coniunctissimus Thomas Eccliae Cantuarien. minister.

Original in Upsala Cod. Dant. II, fol. 30.

[1]) Vgl. das Concept eines Briefes von D. an Cranmer vom 15. October 1536 im Cod. Ups. II, fol. 209. Er erinnert darin an die Tage in Regensburg

und fragt an, ob Heinrich VIII. frei und geneigt sei, die Tochter des Königs von Polen, Isabella, zu heirathen. — [2]) Ueber Cranmer und sein Verhältniß zu diesem Knaben schreibt Duplicius Schepper am 12. Juni 1546 (Cod. Upsal. II, 119): Thomam Cranmerum archiepiscopum Cantuariensem, virum nobis Ratisbonae a. 1532 apprime notum, videre datum non est mihi (scil. in Anglia). Si vera tamen de eo referuntur, nequaquam cum Tunstallo Gartnerove conferendus est aliudque quam illi vitae genus amplexatus et professionis. Quo minus demiror ea quae circa Lithuanum puerum acta per eum scribis, quanquam literis tuis non responderit.

---

55. Wilhelm Gnaphäus an Dantiscus.

1540, October 1. Elbing.

G. widmet dem D. den „Triumph der Beredsamkeit".

Ornatissimo Praesuli, Principique viro: D. Ioanni Dantisco, Ecclesiae Varmiensis Antistiti dignissimo, Domino, et Patrono suo longe observandissimo Guliel. Gnapheus Hagensis. Cum in animo mecum reputarem, ornatissime Praesul, quonam officio meam in te, studiosorum omnium patronum, observantiam testatiorem facerem, non alia mihi occurrit commodior ratio, quam si nostrum hoc qualecumque poema, Triumphum eloquentiae loquor, Cels. T. tanquam cui multis adeo nominibus debeatur, dedicarem. Ut enim taceam, quae tua in me fuerit liberalitas, et cum annis aliquot superioribus Acolastum illum nostrum in patriae comitiis ageremus, et cum hunc ipsum Triumphum te coram non ita dudum exhiberemus: iure certe optimo, quicquid hic operis publicamus, tibi poteris vendicare. Vel quod ludi huius literarii successus, cui promovendo unice studemus, ad te inprimis videatur pertinere, quandoquidem te suum praesulem, in tanto rerum fastigio, quo tua te provexit insignis facundia, cum doctissima maximarum rerum experientia coniuncta, libenter agnoscit Aelbinga, officiose salutat, religiose colit. Vel quod ipsa Eloquentia, quam hic loquentem facimus, te iam suum, non candidatum modo, sed vel Primarium Antistitem ex merito depraedicet, maioribus longe honoribus destinatum, atque adeo pro vero virtutis exemplari Prutenicae iuventuti proponat. Cum vero

ab hoc consilio me cunctabundum diu ac multum revocasset et heroica Cels. T. dignitas et inscitiae meae conscientia, praesertim cum res ipsa loquatur, multo meliora poemata domi tuae provenire, ex amoenissimis ingenii tui agro, quam tenuis nostra Thalia dare queat: vicit tamen hunc meum pudorem insignis tua humanitas et benigne faciendi propensio, quam ego in te summam adverti, quo factum est scilicet, ut me tibi propius insinuare audeam. Accipiat itaque Cels. T. Praesul ornatissime, quamquam ab homine tam aure, iuxta proverbium, quam patria Batavo, doctam ipsam facundiam in te maxime, si in quoquam alio Principe viro, triumphantem, ut, si tibi viro tali ac tanto placuerit, quicquid in huius ludi literarii ac urbis, immo patriae totius commendationem scripsimus, maiore animi alacritate mihi libeat huc incumbere, ut nostrae iuventuti studium meum faciam probatissimum. Cum enim mihi natus non sim, nihil antiquius duco, quam ut quamplurimis prosim, id quod non video, ubi melius praestem, pro meae quidem vocationis ratione, quam in scholasticae iuventutis institutione, quae ut mihi ab adolescentia nunquam gravis fuit, ita ne hodie quidem videtur poenitenda. Ceterum argumenti, quod tractandum suscepimus, summa hoc docet, oratorem, ex Fabii sententia, virum bonum esse oportere, et Eloquentiam ipsam cum vitiis mentis minime posse misceri. Siquidem et M. Tullius non uno loco testatur, dicendi facultatem ex intimis sapientiae fontibus profluere. Interim et Barbariem ipsam triumphatam inducimus, ut scholasticam iuventutem ad politioris literaturae amorem magis atque magis accendamus. Quod nostrum consilium. T. benignitatis fuerit, Praesul ornatissime, boni consulere et benigne interpretari.

AElbingae ex Collegio nostro literario, Kal Octobribus. Anno 1540.

Widmung der Schrift: Triumphus eloquentiae in bonarum literarum et doctae facundiae commendationem carmine redditus et item pleno omnium personarum equitatu Aelbingae publice exhibitus, auctore Guilielmo Gnapheo Hagense, ludi literarii apud Aelbingenses moderatore primario. Dantisci 1541.

---

56. Michael Glowa an Dantiscus.

1541, April 26. Krakau. (Präs. Mai 13. in Marienburg).

G. berichtet über die Studien der Neffen des D.

Tametsi Reumae Paternitati V. minus cognitus sum nullamque occasionem habeam scribendi opportunam, praeterquam quod nepotes R. P. V. Augustinus et Ioannes[1]) voluntate spectabilis Domini Georgii Hegel, civis Cracoviae, de republica optime meriti, gratia perdiscendarum bonarum literarum et praeceptis philosophiae capessendis adhaeserunt. Idne voluntate illorum factum sit, affectu aut amore, aut spe cumulatioris eruditionis, quam in me inesse sibi ipsis persuaserant, aut voluntate Dei omnipotentis? Quod suspicari et concredere, magis cohaerens et consonum mihi adparet. Cuius ineffabilis benignitas et misericordia incredibilis id nunc ordinat atque efficit, ut in gratiam tanti Antistitis tamque consultissimi Primatis, quo fere uno clerus imperii Polonici gloriatur palmamque plebs promiscua in ferendis consiliis prae ceteris tribuit, recipi dicique clientulus merear. Faxit Deus, ut dignus oculis R. P. V. videar, quo gratiam adsequar; verum eam adsequi neutiquam puto, nisi dum nepotes Reumae P. V. carissimos et moribus et scientiis cultiores efficiam, quod mihi factu quoque facillimum inde videtur, dum illos probatissimos, moratos et virtutum amatores perspexi, talesque tanquam dignissimos, in quibus iusta causa ferendi cumulatioris commodi R. P. V. sumptus tantos collocat. Nec spe frustrabitur diis propitiis de illis concoepta: etenim illos peculiariter R. P. V. ornamento futuros, amicis patriaeque suae non parvum honorem confido suis vigiliis ac studiis allaturos. Utrum alteri praeferam, praeterit me sane, cum utrique ferventissimus in studiis animus. Cum his me committo, gratiae et benignitati R. P. V. longamque salutem a Domino Deo Christo Iesu humillime comprecor.

Cracoviae XXV die Mensis Aprilis, Anno Domini 1541.
Michael Glovnitianus, disciplinarum liberalium Magister et collega Almae Universitatis Cracoviae, R. P. Vestrae clientulus obsequentissimus.

Original im bisch. Archiv zu Frauenburg D. 6. fol. 43.

[1]) Die beiden Neffen sind Augustin Reiße und Johann Hannow.

57. Gemma Frisius an Dantiscus.

1541, Juli 20. Löwen. (Präs. November 19. in Heilsberg).

Videris, Praesul ornatissime, non iniuria queri de me, quod postremis D. T. literis ne gri quidem responderim. Neque ego commode me unquam purgare possem, si aut negligentia aut quodam animi fastu id commisissem. Verum quandoquidem animus mihi bene conscius est, quantis quamque variis distractus fuerim hactenus curis, maiori longe animo minorique verecundia rursus audeo ad D. T. R. importunius scribere, si tamen importunum dici meretur, quod ipse pro tua humanitate prior poscis. At quas (inquies) curas mihi narras homuncio, cui neque res publica commissa est, neque principis valetudo? Sane non minori cura passer sibi nidum extruit pullosque educat, quam vel aquila vel struthiocamelus. Maiori interim negotio rusticus casulam extruit humilem, quam princeps sumptuosa quantumvis palacia. Id adeo mihi evenit, ut mea quamvis exigui momenti negotiola tantum mihi facessant negotii, quantum forte D. T. R. gravissimi rerum status. Haec eo dico, Praesul ornatissime, ut tanto facilius tibi sim purgatus, persuasumque D. T. sit, non ex negligentia commissum esse, cur minus quandoque amantissimis D. T. literis rescripserim, sed variis multisque et mihi saltem gravibus curis id adscribas velim. Profecto non admodum sunt exigui momenti (mea sententia) tot hominum valetudines, quas in dies curare habeo. Quamquam enim non sunt principes aut heroes omnes, non tamen minus diligentiae illis debeo quam vel maximis ducibus, cum aeque magno constet Christo Domino nostro eorum vita atque regis potentissimi. At nunc Dei benignitate remissa est nonnihil saevities morborum, qui hic et maximi et non pauci grassati sunt annum fere totum multosque e medio sustulerunt, quanquam ne decimus quisque succubuerit eorum, qui morbo detenti gravissime decubuerunt. Itaque nunc et copiosius et liberius scribo R. D. T., quo et possem damnum resarcire (si quod passa est in me tua benevolentia), deleaturque posthaec omnis negligentiae suspicio: quamvis etiam nunc novus incubat labor

novaque molestia anhelanti ad doctoratus lauream, quae Deo favente tertio Kalendis Septembris celebrabitur. Atque utinam ita tulisset rerum conditio, ut huic festo licuisset adesse R. D. T. Deum immortalem, quantum claritatis habiturus fuisset dies ille! Sed ferendum est quod mutari non potest. Eustachium[1]) insignis probitatis neque minoris eruditionis iuvenem, lubens amplector gestioque, si per facultatas meas liceret, demonstrare illi, quem erga eum gero animum: licet sperem hac in re nihil opus ipsum habere meis subsidiis. Videtur sane ad poesim natus atque in ipso Helione enutritus, ita fluunt tanquam de flumine versus. Certe videntur fato quodam Musae, relictis Pegasi fontibus, in Sarmatiam commigrasse, allectae nescio quo aut dulcedine soli aut potius incolarum genio, ac propulsae ex consuetis Parnassi sedibus barbarie insueta Graecoram istuc profugisse. Atque ut de aliis nunc taceam, ipsa sane Vrania sedes ibi fixit novas, novosque suos excitavit cultores, qui novam nobis terram, novum Phoebum, nova astra, immo totum alium apportabunt orbem. Et quidni novum, cum hactenus ignotum prorsus et incertum depictum limitibus orbem iam deinceps tanquam e coelo asportatum notissimum simus habituri! Quot enim erroribus, involucris, labyrinthis, quot denique aenigmatibus plus quam Sphyngicis involutam habuimus nostram Astrologiam! Ego sane multa possem enumerare, quae nunquam mihi satisfacere potuerunt. Quale est, quod Martis motum saepe a calculo vel exactissimo, secundum tabulas, tribus signiferi partibus abesse observaverim; quod Lunae magnitudo non tantum varietur ad nostrum conspectum, quantum notant gravissimi huius artis autores; quod anni quantitas nunquam inventa sit exacte conformis veritati. Nihil nunc dicam de motu firmamenti et apogiorum qui, ut ne umbram quidem habuit veritatis, ita omnibus ridiculus approbatus; ommitto etiam plura alia de omnium fere stellarum longitudine et latitudine, ne D. T. Rmae. obstrepam incivilius. Haec si reddiderit auctor ille vester sarcta et tecta (id quod maxime animus praesagit ex eo prooemio quod praemisit)[2]), nonne hoc est novum dare terram, novum terram, novum coelum ac novum mundum? Neque

ego nunc disputo de hypothesibus, quibus ille utitur pro sua demonstratione, quales sint, aut quantum veritatis habeant. Mea enim non refert, terramne dicat circumvolvi, an immotam consistere; modo siderum motus temporumque intervalla habeamus ad amussim discreta et in exactissimum calculum redacta. Sola me mora omnium pessima habet: cupio enim iamiam videre huius negotii finem, et non pauci sunt passim viri eruditi, quibus non minor inest animi cupiditas haecce videndi, quam mihi. Quapropter, ornatissime Praesul, non parum mereberis gratiae cum apud infinitos haud infimae doctrinae viros, tum apud posteros omnes, si (quod tibi arbitror neque grave esse neque arduum) calcaribus tantum usus hoc opus promoveas. Non te latet enim, qua ratione saepe accidat a decessu autoris, ut libri, opera, supellex denique tota diripiantur abeantque in oblivionem, quae alioqui multis ex usu essent futura. Scis arbitror, dignissime Praesul, de quo[3]) loquar, nam et mihi praesenti olim de hoc autore celebri fecisti mentionem, cum de terrae coelique motu inter nos conferremus.[4]) Quod superest, me D. T. R. quam commendatissimum esse cupio, precorque Deum optimum maximum, ut D. T. R. dignetur quam diutissime sospitem servare.

Lovanii, Decimotertio Kal. Augusti 1541.

D. V. R. deditissimus Gemma Frisius.

Original in Upsala a. a. O. II, 49.

1) Eustachius v. Knobelsdorf, der damals in Löwen studirte. — 2) Unter dem prooemium, quod praemisit ist jedenfalls die etwa seit 1535 in Freundeskreisen verbreitete Schrift: „Nicolai Coppernici de hypothesibus motuum coelestium a se constitutis commentariolus“ zu verstehen, welche zuerst von M. Curtze (Leipzig 1878), dann von Lindhagen (1881) und Prowe (1884) herausgegeben ist. — 3) Quo ist im Manuscript unterstrichen und von einer spätern Hand an den Rand geschrieben „Nicolao Copernico haud dubie“. — 4) Dantiscus hatte auf seinen vielen Reisen überall die Kunde von den neuen Theorieen seines Freundes hingebracht. Vgl. unsere Ermländische Literaturgeschichte I, 120. Spicilegium Copernicanum p. 355.

58. Dantiscus an Gemma Frisius.

1543, Januar 29. Heilsberg.

D. empfiehlt den C. Konarsky, berichtet über das Befinden und das Werk des N. Copernicus und erkundigt sich nach den Vorlesungen und Preisen in Löwen.

Eximi e Domine et mihi carissime Gemma! Salutem tibi, Jacobinae tuae cum prolibus et omnia fausta precor. Non potui committere, cum is nobilis generosusque iuvenis Dominus Christophorus Conarsky a Serenissimo Rege meo ad aulam vestram missus sit, quin te literis meis inviserem, licet vicaria manu scriptis. Dictaturae enim, etiam mihi invito, accessit magistratus, eo quod calamo iam a tribus mensibus uti nequeam. Superiori anno per Eustachium meum a Knobelsdorff, cum me eo tempore ad te scribendi in multis occupationibus deficeret otium, tibi dici commisi de illa mathesi, de qua ad me scripsisti, quod eam auctor, Ecclesiae meae Canonicus, Doctor Nicolaus Copernicius, qui iis diebus in extremis fere laborat Paralisi affectus, cuidam Mathematico evulgandam typis tradiderit; iussi et Epigramma meum tibi legendum ostendi, quod rei ipsius et autoris non vanas habet laudes. Quid porro cum ea excusione fiat, hucusque me praeterit. Tu si quid habes in eadem mathesi, vel forsan in ea quam profiteris medica facultate, a te editum, per hunc Serenissimi Regis mei oratorem ad me transmittas; referetur tibi per occasionem non indigna gratia. Si qua etiam in re ipsi Domino Oratori usui esse possis, te ob veterem meam in te benevolentiam oro, ne pigrere illi tuam praestare operam. Sunt mihi duo nepotes, quos sopitis his bellis, quibus orbis Christianus ubique tumultuatur, ad vos mittere statui; tu quaeso me edoceas, quomodo res literaria quosve lectores habeat, et quibus impensis annuis se apud vos sustinere possint, in eo mihi rem apprime gratam facturus, mi carissime Gemma. Vale uxoremque tuam meo nomine complectere, etiam si multis volueris vicibus, illique et omnibus amicis salutem dices.

Ex arce mea Heilsberg XXIX Ianuarii 1543.

Concept im bisch. Archiv zu Frauenburg D. 70. fol. 198.

59. Gemma Frisius an Dantiscus.

1543, April 7. Löwen. (Präs. Mai 22.).

G. antwortet auf den Brief vom 29. Januar, indem er über die Professoren 2c. in Löwen berichtet und den bevorstehenden Tod des N. Copernicus bedauert.

Reume Domine, salutem et officiorum meorum commendationem. Vix tandem legi, R. Dne., summo desiderio longoque temporis tractu expetitas Rmae. D. V. literas plenas in me amoris et benevolentiae, pro quibus ne Croesi quidem divitias (ut ita loquar) in praesentiarum mihi concessas velim. Quanquam enim aliqua in parte argumentum satis triste tractant, ubi scilicet manum illam tot heroibus notissimam ac regibus quoque adamatam adeo languere narrant, ut iam sine vicario nihil agere possit, altera tamen parte maximum mihi eximerunt metum et insigni perfuderunt gaudio. Iam dudum enim apud nos increbuerat rumor et nonnullis quoque persuasit longum silentium, R. D. V. simul et scribere et vivere desiisse. A qua suspicione liberati serio nunc exultamus, et ut eandem R. D. V. longa et meliori valetudine donare velit is, in cuius manu sortes nostrae sunt, precamur ex animo. — Apud generosum et nobilem D. Oratorem Serenissimi Regis Vestri coenavi nuper in aedibus Magnifici Dni Cornelii Scepperi, forte Bruxellam vocatus ob malam valetudinem Illustris Dni a Prato; ac tum mea omnia, quae parum ipsi Dno Christophoro usui esse possunt, in promptitudinis animi mei signum, ut debui, obtuli, cui sane nomine R. D. V. obsequium aliquod praestare cuperem. Sed revertenti mihi post tres dies Lovanium interea videre nunquam ipsum contigit, itaque non potui pro animi voto meam erga R. D. V. voluntatem declarare. Si tamen nepotes R. D. V. contigerit huc ad nos pervenire, id quod summopere desidero, spero effecturum me, ne vana videri possit haec mea pollicitatio. De statu vero temporario nostrae Academiae tantum R. D. V. significandum statui, doctores nos habere in quovis disciplinarum et artium genere excellentes. In iure civili D. Ioannem Hazium, D. Amicum et D. Gabrielem, viros omnes non minus facundos quam eruditos; in Canonibus D. Dominicum, D. Michaelem Druysium et Licentiatum Wilmarum Bernardum, quorum et

vita doctrinae excellentiae respondet; theologorum vero (quos merito primo ordine recensere debueram) magnus est apud nos et numerus et splendor. Inter quos acutior videtur et senior M. N. Iacobus Latomi. Sed quid ego caecus de coloribus? Doctores tandem medici aliqui hic plures sunt quam aegroti, et fuerunt plures quam auditores. Sed in dies quoque nomen claritasque scholae medicae Lovanii sese ad sidera tollit; accessit enim nuper per Magistratum Lovaniensem instituta nova medicinae lectio praeter consuetas, coepimus quoque anatomem celebrare, id quod hactenus plane neglectum fuit magno auditorum detrimento, nos quoque pro nostra tenuitate mathemata hic quadragesima coepimus declarare, ac in dies satis frequenti auditorio proficimus. — Quod ad impensas annuas attinet, non est respondere facile. Sunt enim variae apud nos classes, varii ordines. Quisque pro sua et dignitate et pretio diverse accipitur. Sunt qui in paedagogiis victitant 36 aureis cardis, hoc est 18 ducatis; sunt in eisdem paedagogiis alterius classis convictores, qui 24, sunt qui 25 ducatos annue pendunt. Simili quoque ratione apud doctores aut alios viros doctos vivitur. Maxima vero ex parte et passim hac tempestate 25 ducatis victus emitur. Novi quoque alios, qui in doctorum aedibus 30 ducatos pro victu numerant. Victus vero nomine cibum, potum, cubicula et lectum tantum numeramus; ligna, candelas, vestitus aliaque huiusmodi propriis quisque sumptibus sibi componere debet. Sed tanta est apud nos bellorum tumultuatio, ut non videam, qua via nepotes R. D. V. ad nos perrumpere possint. Anno elapso Geldrenses et Clivenses Regis Galli instinctu et nomine totam Brabantiam fere per insidias occuparunt. Quo tempore et ego pro moenibus quatriduum adstiti iam factus miles non admodum voluntarius, vidique hostes bombardarum nostrarum globis disiectos et strenue repulsos. Unde tunc cecini: „Vicimus auxilio Christi post vincula Cephae!“ Sed haec iam apud R. D. V. notissima esse arbitror, potuissem alioquin ingens volumen harum rerum narratione implere, neque adhuc finis aliquis apparet, sed tantum progymnasmata quaedam videntur, prout nunc omnia furorem Martium referunt, omnia sursum

deorsumque volutant. Sed dabit Deus his quoque finem spero! — Opus ille mathematicum summi viri D. Nicolai Copernicii summo desiderio expecto, quod impressum iri D. Eustachius mihi narravit, sed et sub prelo esse iam nunc referunt nonnullorum monimenta virorum ex Germania prodeuntia.[1]) Et commode sane nunc hoc opus exoritur, ut occasum tanti viri perpetua luce illustret, quanquam optem viro illi nestoreis annis digno vitam opere suo durabiliorem. Quam ut R. D. Vestrae et illi concedat Deus optimus maximus, quotidianis precibus oro. Uxor mihi carissima, Barbara nomine, neque re Latina vel Graeca, sed humanissima, ut amplexibus meis gaudet, ita amplexum amicitiae R. D. V. summopere desiderat; veteres quoque R. D. V. clientuli quam commendatissimi Reumae D. V. esse cupiunt.

Ex Lovanio VII. Aprilis A. D. 1543.

R. D. V. obsequentissimus Gemma Frisius.

Original in Upsala a. a. O. II, 70.

[1]) Es sind damit wohl die Schriften von Erasmus Reinhold, Rheticus u. a. gemeint. Vgl. unsere Erml. Literaturgeschichte I, 111—122.

---

60. **Melchior Isinder an Dantiscus.**

1546. April 28. Königsberg. (Präs. Mai 1.).

Widmung einer Schrift des Joachim (Camerarius) an D. ꝛc.

Praeter expectationem atque adeo omnem voluntatem et vota mea, Reume in Christo Pater, mihi accidit, ut libellus illustri ac clarissimo Celsitudinis Tuae nomini a me inscriptus citius in manus vestras perveniret, quam ego, ut moris est, eum offerendum curassem. Verebar enim, cum id primum intellexissem, ne C. T. eam ob causam aliquid vel diligentiae sive etiam iudicii merito in me desideraret. At postquam C. T. avidius relegissem literas, quibus quo animo is acceptus esset significabatur, ea quidem abunde ex iis perspexi, ut nihil dubitare iam queam eum nullo sane infausto sidere ad vos perlatum esse. Etenim eum praeseferebant favorem atque C. T. erga me propensum studium et benevolam animi inductionem, ut nisi id vicissim veneratione, observantia ac praeconiis peculiaribus dignum existimen, frustra me in studiis optimarum artium versatum esse non sine rubore fateri debeam. Ac

cum huius non sit occasionis prolixius de hac tam insigni C. T. mansueta et clementi humanitate verba facere, merito nunc quod possum et debeo maximas pro ea C. T. et habeo et dico gratias. Etsi autem fatear, non male ipsam fortunam, seu potius casum, consilia et deliberationes meas antevortisse, tamen ne vel nunc quidem consuetudini atque officio meo deessem, libellum ipsum, quem equidem iudico esse tenuem et vix tua amplissima celebritate dignum, ad C. T. transmittere volui. Idque ea potissimum de causa, ut eo ipso testatius apud C. T. facerem me vere eo animo hanc opusculi inscriptionem instituisse, quo C. T. in literis eam a me susceptam esse existimavit. Accipies igitur, amplissime Praesul, denuo quasi hoc munusculum a me chartaceum et quidem ea virtute et iudicio, quibus ego fretus ad id C. T. exhibendum adductus sum. Nam quod plus satis C. T. sibi in eo ascriptum esse arbitratur, agnosco hic quoque C. T. eximiam virtutem atque sapientiam. Ego enim libenter fateor me magnitudinem verissimarum laudum tuarum minime assecutum esse. Neque vero, si talis se occasio offerret, pro mea illa ingenii mediocritate anniti dubitarem, ut vel splendidiori in argumento C. T. multorum bonorum de se iudicia penitus introspiceret. Nam et in hoc praesenti instituto ac quasi primitiis meis ideo etiam contractior esse debui, quod sciebam ipsum per se opusculum alienum esse a C. T. professione, cum tamen interim propter Ioachimum autorem ipsius et autoritatem Sabini nostri, cuius hortatu hanc scriptionem, ut prorsus ad ignotum, susceperam, haud sane ingratum futurum sperarem. Quae omnia ut explicatius C. T. aperire queam, omni sane in hoc incumbam industria, ne C. T. frustra nos ad se tam amanter invitasse videatur.[1]) His C. T. quam rectissime valeat, utque ea me sibi de meliori nota commendatum habere dignetur etiam atque etiam oro.

Datae in Monte Regio III. Cal. Maii. Anno salutis nostrae M. D. XLVI.

R. C. T. addictissimus Melchior Isinderus.

Original im Museum Czartoryski Cod. 403. p. 621—624.

[1]) Vgl. über diese Einladung Sabini poemata, Lipsiae 1563. p. 313. Isinder aus Schweidnitz († 1588) war seit 1544 Prof. der griechischen Sprache an der Universität Königsberg.

Chronologisches Verzeichniß der Briefe.

			№
1530			
October	12	Eobanus Hessus an Dantiscus	1
1531			
März	3	Johann van Campen	2
April	4	Eob. Hessus	3
„	16	Johann v. Campen	4
„	18	Johann v. Campen	5
„	27	Conrad Goclenius	6
Mai	12	Johann v. Campen	7
„	21	Conrad Goclenius	8
Juli	?	Johann v. Campen	9
August	20	Johann v. Campen	10
„	27	Johann v. Campen	11
Septbr.	16	Johann v. Campen	12
Octbr.	2	Johann v. Campen	13
Novbr.	19	Johann v. Campen	14
Decbr.	2	Conrad Goclenius	15
1532			
Januar	21	Conrad Goclenius	16
April	20	Johann v. Campen	17
Mai	3	Johann v. Campen	18
Juni	12	Eob. Hessus	19
„	20	Eob. Hessus	20
„	24	Eob. Hessus	21
Juli	1	Eob. Hessus	22
Novbr.	24	Lazarus Bonamicus	23
Decbr.	27	Eob. Hessus	24
1534			
Februar	19	Johann v. Campen an P. Tomicki	25
„	24	Johann v. Campen an Dantiscus	26
März	10	Johann v. Campen	27
Juli	24	Conrad Goclenius	28
„	26	Gemma Frisius	29
Decbr.	30	Johann Cochläus	30
1535			
Februar	4	Johann v. Campen an Dantiscus	31

			№
1535			
April	16	Johann Cochläus	32
August	7	Johann Cochläus	33
Decbr.	30	Johann Cochläus	34
1536			
April	28	Johann Lohmoller	35
Mai	8	Johann Cochläus	36
„	10	Johann Magni Store, EB. v. Upsala	37
„	15	Johann v. Campen	38
Septbr.	29	Johann Cochläus	39
Octbr.	29	Jacob von Barthen	40
Novbr.	21	Jacob von Barthen	41
1537			
April	6	Johann v. Campen	42
Mai	24	Jacob v. Barthen	43
Juni	12	Johann v. Campen	44
Octbr.	23	Caspar Hannow	45
Decbr.	6	Caspar Hannow	46
1538			
Januar	14	Johann Uranoplusius	47
August	7	Johann Lemann	48
Octbr.	7	Vitus Amerbach	49
Novbr.	14	Johann Poliander	50
1539			
März	10	Wilhelm Gnapheus	51
„	23	Wilhelm Gnapheus	52
Decbr.	12	Gemma Frisius	53
1540			
Juni	20	Thomas Cranmer	54
Octbr.	1	Wilhelm Gnapheus	55
1541			
April	26	Michael Glowa	56
Juli	20	Gemma Frisius	57
1543			
Januar	29	Dantiscus an G. Frisius	58
April	7	G. Frisius an Dantiscus	59
1546			
April	28	Melchior Isinder an Dantiscus	60

Alphabetische Uebersicht.